DE

CAII JULII VICTORIS

ARTE RHETORICA

E TYPIS CH. LAHURE
OLIM CRAPELET
via dicta Vaugirard, 9, juxta Odeum

DE

CAII JULII VICTORIS

ARTE RHETORICA

DISPUTATIONEM PROPOSUIT

A. DAMIEN

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS
APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DES GRÈS, 5

1852

EXCELLENTISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO

J. V. LE CLERC

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI DECANO
INSCRIPTIONUM AC LITTERARUM ACADEMIÆ SOCIO

PARVUM OBSERVANTIÆ ET VENERATIONIS PIGNUS

OBTULIT

A. DAMIEN

DE

CAII JULII VICTORIS

ARTE RHETORICA.

PROOEMIUM.

§ 1. De prima Victoris libelli editione.

Inter luculentissima opera aut veterum operum fragmenta, quæ sive in bibliothecarum tenebris confusa, sive in codicibus palimpsestis nomine prope omnino deleta, litteris restituit ac primum in lucem doctissimus vir Angelus Maius edidit, duo insunt librorum volumina[1], quæ cum juris civilis ante-justiniani reliquiis, et Q. Aurelii Symmachi IX orationum partibus et L. Cæcilii Minutiani Apuleii de orthographia fragmentis et appendicibus quibusdam antea ignotis, Caii Julii Victoris Artem Rhetoricam complectuntur. De qua profitetur Maius se nescire utrum id Rhetoricæ Artis compendium hactenus typis mandatum sit, se tamen utique illud in nullo eorum librorum reperisse quos Pithœus aliique composuerunt, et ubi quasi in unum corpus

1. 2 vol. in-8. Romæ, MDCCCXXIII.

reliqua omnia Latinorum rhetorum, quæ quidem superesse scirent, præcepta congesserunt.

---

§ 2. Quare hunc ignoti rhetoris librum expendere tentaverim.

Utcumque autem se res habet (et si quæ sentiam profiteri licet, mihi hoc opus verisimile est, ex Ottoboniano Vaticanæ bibliothecæ membraneo codice sæculi ferme XII a Maio editum, primum inter recentiores homines insignis hujusce viri accurato labore e tenebris in lucem emersisse), non supervacaneam susceptum iri a me operam arbitratus sum, si quam ceteris minorum inter Romanos rhetorum artibus Rhetoricam Artem subjunxit Maius, pauca et ea quidem optima tum de Victore, tum de ipsius libro præfatus, eam paulo uberioribus commentariis pro virili parte instruendam mihi proponerem. Et eo profecto libentius animum induxi ut pro exiguis et ingenii et doctrinæ opibus hoc mihi muneris inchoandum injungerem, quod, ipso Angelo Maio teste et auctore, non inutilis intente legentibus, etiam post Ciceronis, etiam post Quintiliani ad oratoriam institutionem attinentia præcepta, Victoris Rhetorica Ars videbitur. Seu enim ad id compendii istius diligenter investigati lectio et meditatio proficiat, ut melius inde dignoscamus quantis excogitandi dicendique virtutibus ut ceteros Latinorum minores artigraphos, ita Caium ipsum Julium Victorem exsuperent; seu nova quædam et non annotatione indigna apud eumdem occurrant;

seu tractatione ejus assidua manifeste per utilissima indiciorum genera appareat cur, quomodo et quatenus magis ac magis, ab incorruptæ eloquentiæ temporibus ad Victoris ætatem, oratorum rhetorumque ingenia et studia in pejus mutata decreverint, non indigna est hujus Rhetorica, quantulicumque ipsa per se pretii fiat, in quam omni ope curiosus antiquorum indagator incumbat.

Nunc pauca hæc præmonuisse contentus quare propositum laborem libenter nec, ut spero, frustra susceperim, omissa omni rerum verborumque ambage, recta ad auctorem editi a Maio de Rhetorica Arte operis ac dein ad ipsum opus pergam.

§ 3. De C. Julio Victore pauca.

De Victoris autem patria, ætate, vita, nihil aliud habeo, re quam diligentissime potui explorata, compertum, quam quæ solita perspicacis ingenii sagacitate usus verisimilia esse Angelus Maius [1] conjecit. Itaque Victoris patriam, non nimis, ut equidem credo, audacter hariolatus, Galliam fuisse suspicatur; in qua jam inde ab Augusti temporibus et antea etiam usque ad extremos ipsius imperii Romani annos, tot oratorum et dicendi magistrorum genera, Cicerone, Seneca patre, Quintiliano, Suetonio [2], Q. Aurelio Symmacho, Ausonio, divo Hieronymo [3], compluribusque aliis testibus, inter quos

1. Adi Maium, *de Victoris Rhetorica*, LXVIII-LXXI.
2. *De Gramm.*, cap. III.
3. Ep. III et alibi.

non unus annumerandus est Panegyricorum scriptor, effloruisse constat [1]. E Gallia ortum esse Victorem eo Maius credit, quod Julii nomen tam frequenter a Caio Julio Cæsare in Gallia celebratum acceperit. Qua quidem in re eruditissimo viro assentior; et, quum nihil certi ac plane comperti neque ex veterum testimoniis, neque ex Victoris opere eruatur, nihil potius duco, quam ut verisimillima esse confidam quæ Maius de Victoris patria suspicanda proposuit. Item de ignoti rhetoris ætate, item de studiis et incerta vitæ conditione. Quocirca dicenti Maio credamus non prius Caium Julium Victorem, quam IV post Christum natum sæculi temporibus vixisse; utpote quod aut ipse aut alius quivis fortasse antiquus Victoris annotator (nihil enim utrumvis interest) inter rhetores e quibus excerpta quædam et translata sunt in Rhetoricam Artem, de qua agimus, Titianum aut majorem aut minorem (majorem potius, ut Maio videtur) in ipso operis titulo et in ipsa fine annumeret; Titianus autem uterque non prius quam III post Christum sæculo floruerit. Quod vero ad vitam C. Julii Victoris spectat, idem Maius non abhorrentem a verisimili conjecturam credit, qua videatur unus ex provincialibus his in Gallia rhetorices professoribus, qui oratoriam artem in municipalibus scholis edocuerunt, Julii illius Titiani more qui ab Ausonio [2] nunc apud Visontionem, nunc apud Lugdunum, dicendi studiis vicissim præpositus consenuisse traditur.

1. Maius, præfat. ad Symmach., p. XXVIII.
2. Grat. act., § 31.

Hæc satis multa nunc de Caio Julio Victore referantur. Deinde pro tempore et loco quædam alia perpendere opportunum erit quæ Maius de Victore hic adjecit, et quum verissime hunc a Sulpicio Victore, rhetore scilicet alio, separavit, Rufini[1] testimonio fretus, qui Victorem nostrum inter eos posuit qui de numeris oratoriis scripserunt, quod revera ex Rhetoricæ nostræ capite ad elocutionem pertinente apparet, dum ne ullum quidem verbum de eisdem numeris Sulpicius Victor, in rhetoribus a Pithœo et Capperonerio editis fecit; et quum Caium Julium Victorem in ethnica superstitione innutritum a se nosci frequentibus indiciis Angelus Maius asseverat; et quum etiam Julii Victoris rhetoricam eclogen affirmat in gratiam studiosi juvenis fuisse compositam, Suetonii[2] et Prisciani[3] auctoritatem sibi vindicans, qui multos sua ætate commentarios ejusmodi ferri tradiderunt.

---

§ 4. De rhetoribus quorum præcepta in compendium suum transtulit Victor.

Jam igitur Victorem relinquamus, cujus nec patria nec ætas nec studia plane comperta sunt, ut ab ignoto illo viro compositum aut potius strenue hinc inde et ubique compilatum oratoriæ artis breviarium aggrediamur. Sed nulla sit nobis prior illud et explicandi et dijudicandi cura, quam Maii vestigia

1. Ed. Capper., p. 353.
2. *De Gramm.*, cap. IV.
3. *Prooem. de num. et pond.*

iterum persequentes, aliqua de rhetoribus prænuntiemus, a quibus vel omnia vel pleraque operis sui præcepta, nec solum sensa, sed dicta etiam, non semel eorum ordine perturbato, sibi libere mutuatus assumpsit.

Quos inter copiosissimos dicendi præceptores (ut quidem ex titulo operis videtur in quo *doctissimorum* nomen manu recentiore additum est), exceptis M. Tullio et Fabio, de quibus plura dicta sunt et dictu facile est quam ut hic utriusque virtutes collaudari necesse sit, Hermagoras, Aquilius, Marcomannus, Tatianus indicati a nobis breviter, prout decet, recensebuntur.

Quoniam ex Hermagoreæ doctrinæ reliquiis, quas apud antiquos rhetores passim recolligi in promptu est, Victorem patet inde plurima in librum præcepta transtulisse, Hermagoræ nomen paulisper relinquemus, de quo longiorem mox mentionem fieri oportebit, ut ceteros tres supra nominatos eloquentiæ magistros obiter perstringamus.

De Aquilio rhetore nihil fere se habere quod dicat Maius profitetur, nisi se valde suspicari scribendum Aquilam [1]. « Namque, ut ait, Aquilæ Romani exstat tractatus de Figuris rhetoricis. Antonius Aquila declamator memoratur apud Frontonem [2]. Denique Græcus rhetor Aquila laudatur a Philostrato in Chresti Vita. Aquilii vero rhetoris quisnam meminerit nondum comperi; Aquilii enim Severi sub Valentiniano principe historiam memorat Hieronymus [3], non scripta rhetorica. » Sic Maius per-

1. Maius, *de Victoris Rhetorica*, LXV et LXVI.
2. *Ad amicos*, I, 10.
3. *De Vir. ill.*, CXI.

spicacissimas, ut solet, conjectationes induxit, unde Aquilæ cujusdam opus unum e fontibus fuisse putemus, a quibus rivulos aut fortasse etiam rivos Victor deduxerit. Quem vero trium illorum, quos Aquilæ nomine designatos commemoravit Maius, sibi præcipue ad sequendum ducem Victor elegerit incertum est; in una[1] tamen ex iis notulis quibus Victoris rhetoricam eclogen Maius locupletavit, Aquilam illum, tractatus de Figuris auctorem modo suprascriptum, innuere videtur inter eos exstitisse, qui Victori nostro et præcepta et exempla suppeditaverint. Celeberrimum enim M. Tullii pro Gallio deperditæ orationis fragmentum, quod in operis capite refert Victor cui de Obliquitate titulus est, Maius ab Aquila de figuris sententiarum scribente citatum esse animadvertit. Sed ingenue fateamur, nihil ad rem erudita Maii annotatio, siquidem exemplum idem iisdem omnino verbis expressum apud M. Fabium reperias[2], et eo verisimilius sit ex ipso Quintiliano esse ductum, quod pleraque quæ in capite illo præsunt aut subsunt exempla, a Quintiliano eodem, etiam interdum ad verbum desumpta, persecutus est Victor. Ergo non inde liquet quem vere Aquilam sibi exemplar ceperit; quanquam probabilius est, Maio, ut significare videtur, auctore, Aquilam hunc fuisse, cujus de rhetoricis Figuris tractatus ad ætatem nostram servatus est et pervenit. De Aquila hactenus.

De Marcomanno autem nihil aliud Maius invenit, nisi quod ejus præceptis Fortunatianus, Victo-

1. C. J. Vict., cap. XXII, p. 103, n. 4.
2. Quintil., VIII, 3, 66.

rinus, Sulpicius Victor parcissime usi sunt [1]. Marcomanni nullum Maius in notulis ad C. Julium Victorem vestigium deprehendit. Itaque eo mentionis modo gratia nominato contenti simus necesse est, nec irrita de ignoto prope homine quæramus.

Quod ad Tatianum spectat, manifesta aut verisimili saltem argumentorum conclusione Maius probat [2] rhetorem quem sibi imitandum noster proposuit, neque Tatianum illum Syrum esse, sed lingua Græcum, professione sophistam et rhetorem, cujus infinita fuisse volumina, Eusebius atque Hieronymus [3] tradunt, neque Tatianum Symmachi in consulatu collegam, qui eodem anno Romæ imperavit quo Themistius rhetor novam Romam præfectus moderabatur, sed qui utrum forte rhetor fuerit omnino ignoratur. Ut autem sibi jam supra videre visus est Maius Aquilium pro Aquila in Victoris codice mendose esse scriptum, ita hic Titianum pro Tatiano scribendum esse valde suspicatur. Et ad id suspicionis libenter adducitur, quod similis error admissus est apud editos libros Capitolini in Maximino juniore cap. I, quem Casaubonus et Vossius, adstipulantibus nempe codicibus, emendaverunt sic : « Usus est Maximus oratore Latino Titiano filio Titiani senioris, qui dictus est simia temporis sui, quod cuncta imitatus esset. » Hanc deinde probabilem conjecturam Maius efficit ex Isidoro Hispalensi [4], qui de rhetoricæ disciplinæ inventoribus lo-

1. Fortunatianus ed. Capper., p. 68; Victorinus, p. 119; Sulpicius Victor, p. 285.
2. Maius, *de Victoris Rhetorica*, LXVI-LXVIII.
3. *Hist. eccl.*, IV, 29; *de Vir. ill.*, cap. XXIX.
4. *Orig.* II, 2.

quens, Gorgiæ, Aristoteli, Hermagoræ, Tullio et Quintiliano Titiani nomen subjungit, cujus « themata rhetorica et controversias Servius laudat [1]. » Inde fit ut Maio videatur Titianus, III sæculi homo, sive is pater est, sive filius (sed prior potius, qui fama clarior in rhetorica arte excelluit), secta Frontonianus [2], is fuisse dicendi magister, ex quo sibi præcepta quædam C. Julius Victor deprompsit. Quod si nobis novam rationem afferre licet cur Titianus ille senior, Latinus scilicet rhetor, exempla quæ ad compendium suum accommodaret Victori præbuisse potius, quam Tatianus ille Græcus sophista, dicendus sit, ad id conjecturæ libenter me impelli prædicabo, quod Victor Latinos potissimum artis rhetoricæ scriptores sibi assumit. Itaque Hermagoram ipsum qui Græco sermone præcepta conscripsit oratoria, noster fortasse attigit, sed Romanos aut præcipue aut unice rhetores perlegit; qui sæpe ab exemplo Ciceronis ipsius proficiscentes, Hermagoreæ doctrinæ rationem et inventa in vernaculam linguam converterant. Diligenter enim Victoris opus intuenti facilis suspicio enascitur Græcos auctores quos passim nominat, fere semper Victorem, non ex illorum fontibus, id est græce scriptis operibus, ea quæ dicat, educere, sed iis plerumque uti per Latinos auctores e Græco sermone in Romanum translatis.

Ceterum parvi interest quomodo rationem interpreteris, qua rhetor noster ad inchoatam sibi materiam Aquilii aut Aquilæ, Marcomanni, Tatiani

1. *Ad Æn.*, X, 18,
2. Adi Maium, Præf. Rom. Front., p. 25.

aut Titiani in oratoria arte leges accommodaverit. Namque difficillimum est (si modo res quacumque via fieri possit) locos in Victoris libro recognoscere, quos ille a tribus iis supra nominatis dicendi doctoribus acceptos, ad opus suum adhibuit. Contra autem dignosci aliquatenus potest quid utilitatis non solum a Cicerone et Quintiliano, quorum opera exstant, sed etiam ab Hermagora ipso retulerit, licet genuini ab eo de rhetorica compositi libri perierint. Tanta enim disciplinæ fama excelluit Hermagoras, et toties ab omnibus rhetoribus Latinis illius in oratore edocendo ratio revocata est, ut fere universa Hermagoræ doctrina instaurari ab eo posset, qui accurate cuncta veterum testimonia et digereret et dijudicaret et quasi in corpus unum contraheret. Quod si quis rhetorica passim M. Tullii opera ac præsertim de Inventione juveniles libros adierit, si multos præterea ex Quintiliano et minoribus artigraphis a Pithœo collectis locos adjecerit, si neque Cassiodori, neque Isidori Hispalensis rhetorices compendia neglexerit, si imprimis jejuni licet atque omnino exsanguis rhetoris illius principia perscrutatus erit, quæ falso quidem Divo Aurelio Augustino adscripta sunt, sed quæ profecto tota Hermagoreæ rationis saporem et gustum quemdam redolent, is persuasum sibi habebit disciplinæ ejusdem reparandæ difficultatem non frustra susceptum iri. Non equidem in illa solvenda elaborare volui, sed ex iis scriptoribus quos modo memoravi id tantum, si locus erit, arripiam, quod ab Hermagoræ libris in Victoris Rhetoricam profectum manifeste ostendatur. Itidem non aliud apud uberrimos eloquentiæ fontes, quos posteris Tullius et Fabius

aperuerunt, inquiram, quam quod ad diffusos ubique in opere suo rhetoris nostri haustus spectat et recta attinet.

Nunc igitur ad materiam aggrediar, ab Hermagora exorsus, qui, ordine temporum habito, Ciceronem antecessit. De quo ita Maius eruditissima disputatione scripsit[1], ut primo duos Hermagoras rhetores distingueret, quorum senior cum Posidonio coram Pompeio magno Rhodi disseruit, junior vero Augusto imperante floruit, ac deinde Hermagora seniore uti Victorem crederet, ex ipso rhetorices titulo, in quo Hermagoras ante Tullium ponitur. Eo facilius cum probabili Maii argumentatione de Hermagora seniore consentio, quod pleraque Latinorum scriptorum de eodem judicia cum ea opinione conspirant, quam de Hermagora afferunt Victoris Rhetorices initia, ab illius Hermagoræ oratoria arte plane et perspicue desumpta. Inde confirmatur Tullii judicium[2], cui « Hermagoras satis in arte, quam edidit, videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas res collocasse, et nonnihil ipse quoque novi protulisse. » Simul autem e Victoris compendio apparet quod ait Tullius, nempe Hermagoram rhetorem præcipientem fuisse, non oratorem, et idcirco facile commonstratur cur aridissimos Hermagoræ libros auctor de Causis corruptæ eloquentiæ optimo jure dixerit[3].

1. Maius, *de Victoris Rhetorica*, LXIV et LXV.
2. Cic., *de Inventione*, I, 6.
3. Cap. XIX. Cf. de Hermagora Hieronym. ep. LIII, 10. Senec., *Controv.*, I, 1 et præfat. lib. III. Quintil. III, 1, 3, 5. Ed. Capper., pp. 60, 121, sqq., 129, 204, 319, 320, 321, 322, 324, 327.

Hæc habebam quæ de Hermagoræ doctrina et ingenio scriberem, antequam ea attingerem quæ Victoris Rhetoricæ suppeditavit. Nunc quoque opportunum de Tullio et Quintiliano pauca præfari videretur; sed, ut antea diximus, illustriora sunt utriusque et nomina et opera, quam ut de illis commemorare quædam necesse sit. Quapropter inutilibus ceteris præfationibus relictis, protinus ad Hermagoræ primum, deinde autem Ciceronis et Quintiliani præcepta in Victoris compendium translata aggrediar.

---

§ 5. C. Julii Victoris Artis Rhetoricæ materiarum summa.

Sed ante omnia nihil potius ad illorum quæ sequentur perspicuitatem collaturum esse arbitror, quam si rapido rerum ordine rhetoris nostri opus disposuero. Qui quidem quinque oratoriæ artis partes, inventionem nempe et dispositionem et elocutionem et memoriam et pronuntiationem, ex plerorumque apud antiquos rhetorum more, singulas vicissim proponit[1], sed ita pro peculiari sibi ratione inventionem tractat, ut in ea non prosequendæ ac proferendæ actionis, sed disponendæ atque meditandæ ordinem sequatur. Quum autem, ut ait[2], in proferenda actione sæpe primus locus prooemio detur, dehinc plerumque narrationi, post egressibus, tum quæstionibus, et novissime epilogo, sed in cogitatione nihil antiquius et ideo prius ver-

1. C. J. Vict., *Proœm.*, p. 3-4.
2. C. J. Vict., cap. I, *de Inventione*, p. 4.

sandum sit, quam status causæ, in quo, veluti necessario cardine, ea innititur, inde efficitur ut primum Hermagorea ratione Victor in omnibus iis insistat, quæ ad causarum status vel constitutiones referuntur. Itaque ab asystatis incipit[1], id est, materiis quibus conditio deest, cur inde controversiæ et causarum status oriantur, et quarum declamatorii generis exempla a Fortunatiano, a Rhetorices ignoto auctore Augustini nomen falso continente expressa[2] congessit Victor. Deinceps vero, explanatis hisce verbis quæ in rhetorum ludis vulgo usurpata, τὸ κρινόμενον, ἀπόφασιν, αἴτιον, κατάφασιν, συνέχον Græci appellaverant[3], ad ipsos causarum pervenit status, ex quibus, Hermagoræ instar, rationales quatuor, conjecturam, finem, qualitatem, translationem vel rationalem vel legalem, legales autem quatuor pariter, scripti et voluntatis, legum contrariarum, collectionem, ambiguitatem distinguit[4]. Quorum statim singulorum partes exemplis illustrat, plerumque ad materias illas declamationum pertinentibus, quas in scholis agi solitas refert auctor dialogi de Causis corruptæ eloquentiæ, controversiis plerumque similes sive a Seneca patre collectis, sive a Pseudo-Quintiliano tractatis. Interdum tamen prolata a Victore exempla e meliore eloquentiæ fonte Tullio hausta sunt. Mox quarum modo recensuit partes constitutionum Victor, earumdem et rationalium et legalium locos eodem

1. C. J. Vict., *de Inventione*, cap. II, p. 5-7.
2. Cf. in Capper. edit. Fortunatianum p. 55, Augustinum p. 325.
3. C. J. Vict., cap. II, p. 7-9.
4. *Ibid.*, cap. III, p. 9-24.

quo nuper ordine, eodem exemplorum genere explicat[1]. Inde ad communes argumentorum locos[2], ad artificialem argumentationem[3], ad inartificialia argumenta[4], ad præjudicia[5], ad argumentum[6], ad necessariam[7], ad probabilem[8] argumentandi rationem, ad ratiocinationem[9], ad enthymema[10], ad epichirema[11], ad reprehensionem[12], ad propositionem[13], id est, ut ait, omnis confirmationis initium, ad partitionem[14], id est, « nostrarum aut adversarii propositionum, aut utrorumque in ordinem collocatam enumerationem, » plerumque ibi nunc Tullium, nunc Fabium secutus, ita transit et gradatim transcendit, ut quatuordecim primis operis capitibus comprehendat quidquid ad oratoriam inventionem attinet. Postea rerum inventarum dispositionem, et de principiis[15], et de narratione[16], et de egressione[17], et de epilogo[18] præcipiens (confirmationis et reprehensionis inventione simul et dis-

1. C. J. Vict., cap. IV, *de Divisione*, p. 24-39.
2. *Ibid.*, cap. V, p. 39-40.
3. *Ibid.*, cap. VI, § 1, § 6, p. 40-54.
4. *Ibid.*, cap. VI, § 7, p. 54-55.
5. *Ibid.*, cap. VI, § 8, p. 55-60.
6. *Ibid.*, cap. VI, § 9, p. 60.
7. *Ibid.*, cap. VII, p. 60-61.
8. *Ibid.*, cap. VIII, p. 61-63.
9. *Ibid.*, cap. IX, p. 63-65.
10. *Ibid.*, cap. X, p. 65-66.
11. *Ibid.*, cap. XI, p. 66-70.
12. *Ibid.*, cap. XII, p. 70-74.
13. *Ibid.*, cap. XIII, p. 74-75.
14. *Ibid.*, cap. XIV, p. 76-81.
15. *Ibid.*, cap. XV, p. 81-85.
16. *Ibid.*, cap. XVI, p. 85-91.
17. *Ibid.*, cap. XVII, p. 91-94.
18. *Ibid.*, cap. XVIII, p. 94-97.

positione superius tractata) quatuor deinceps capitibus edocet. Deinde pauca de dispositione[1] omni scribit. Verborum vero dispositionem et figuras vel dictionum vel sententiarum, in capitibus Victor perstringit, quibus de elocutione[2], de figuratis[3], de obliquitate[4], tituli impositi sunt. Ceteris orationis partibus, memoriæ[5] scilicet et pronuntiationi[6], sequentia duo capita tribuit. Denique in tribus ultimis operis capitibus exercitatio[7], sermocinatio[8], epistolæ[9] commemoratæ sunt.

---

§ 6. Opusculi nostri in quatuor partes descriptio.

Hic est summatim materiarum omnium ordo, de quibus tractavit in Rhetorica Arte Victor et in quibus cunctis rhetorum veterum persecutus est vestigia, præterquam in eis quæ de sermocinatione et epistolis conscripsit; quamvis nesciatur an ipsa illa Victoris ad sermocinandi et epistolas exarandi rationem spectantia præcepta, a rhetore aliquo, cujus deperdita sunt opera, deprompta fuerint. Sed quoniam res in ambiguo est, et primus unicusque inter Latinos dicendi magistros nominatur, qui in rhetoricis quidquam, hactenus e temporum quodam naufragio ereptis, de sermocinatione et epistolis præce-

1. C. J. Vict., cap. XIX, p. 97.
2. *Ibid.*, cap. XX, p. 97-101.
3. *Ibid.*, cap. XXI, p. 101-103.
4. *Ibid.*, cap. XXII, p. 103-110.
5. *Ibid.*, cap. XXIII, p. 110-111.
6. *Ibid.*, cap. XXIV, p. 111-115.
7. *Ibid.*, cap. XXV, p. 116-120.
8. *Ibid.*, cap. XXVI, p. 121-123.
9. *Ibid.*, cap. XXVII, p. 124-126.

perit, Maio assentiamur profitenti prorsus commendari Victoris dignitatem, vel ob dua postrema tractatus capita. De quibus plura postea explanare tentabimus. Nunc autem breviter, ut necesse erat, Victoris Rhetorices materiarum ordine exposito, ea primum in luce collocare et dijudicare conabimur quæ et quomodo ab Hermagora, a Cicerone, a Quintiliano sibi mutua assumpserit Victor et translata ad opus suum accommodaverit, ita tamen de omni quam nobis proposuimus re scripturi, ut meminerit lector nos non ex professo quodammodo artem esse docturos, sed inde ea tantum excerpturos quæ ad rhetoris nostri seu imitationes, seu virtutes, seu vitia, seu utilia et nova et annotatione digna exempla commonstranda prosint. Itaque ne plus minusve a nobis legentes, quam quod pollicemur, exspectent, et ut, priusquam nobiscum susceptum a nobis iter ingrediantur, perspicuo visu recenseant quæcumque collustraturi sumus, id sibi persuasum habeant, nos nihil aliud esse enisuros, nisi ut primo loco Victorem cum Hermagora et imprimis Tullio et Fabio conferamus; secundo ipsum per se Victoris librum omni ex parte generatim introspiciamus, unde nova quædam nec inutilia existere videbuntur; tertio peculiariter et fusius in iis commoremur quæ primus ex Latinis quidem rhetoribus in lucem editis de sermocinatione Victor et epistolis composuit et quæ tum inde, tum ex universo ejus opere generaliter colligi possunt; quarto autem et ultimo quæcumque paulatim annotata, a suscepti operis principio ad finem, conscripserimus, ea omnia breviter repetamus et concludamus.

CAPUT PRIMUM.

§ 1. De iis quæ ab Hermagora seniore C. Julius Victor assumpsit.

Jam autem quadrifariam divisum opus exorsi, ad eam primum veniamus rationem, qua Hermagoræ præcepta Victor in eclogen suam transtulit. Quemadmodum Hermagoras a Quintiliano reprehensus quod rhetoricam definiverit persuasibiliter dicendi artem[1], et tamen a plerisque rhetorum, qui apud Latinos deinde usque ad incertum Rhetorices mendose divo Augustino ascriptæ auctorem, usque ad Hispalensem Isidorum secuti sunt, in ea bene dicendi scientiæ definitione comprobatus; ita statim a compendii principio C. Julius Victor oratoris officium esse scribit in ea quæstione, quæ versatur in negotiis civilibus, posse probabili et apta ad persuadendum oratione uti[2]. Eodem fere sensu, paululum vero immutatis verbis, oratoris muneri tum alii, tum præcipue et Pseudaugustinus[3] et Isidorus[4] proprium finem assignaverunt, eo nihilominus discrimine, ut Isidorus, sicuti christianum hominem decebat, ad *justa et bona* persuadendum addiderit. Non mihi disputare in animo est de fini-

1. Quintil., II, 15.
2. C. J. Vict., p. 3.
3. Aurel. Augustin. *Princip. rhetor.*, cap. II.
4. *Orig.*, II, cap. 2.

tionum omnium convenientia, quas alii alias dicendi magistri ad oratoris officium accommodaverunt; animadvertere tantummodo sufficiat, quantascumque calumnias Hermagoræ de rhetorica finis, Pseudaugustino teste[1], subierit, eum tamen esse, ut ad communem inter veteres rhetoricæ proposita intelligendi sensum omnino aptetur et quadret, et ideo, repugnante licet Quintiliani auctoritate, a plerisque Latinis rhetoribus libentibus acceptus sit. Hermagoræ pariter mente instinctus Victor ac præterea Aristotelica ratione inductus, non rhetoricæ artis dignitatem plus æquo amplificasse sibi videtur, qui ea demum civilia negotia vocaverit[2], « quæ nulla arte propria continentur, ut geometricæ et musicæ, et ceterarum hujusmodi scientiarum, sed earum rerum tractatum habent quæ perficiuntur ex opinione communi, aut legibus, aut moribus, et de quibus omnes qui aliquatenus intellectum aliquem recipiunt, et dicere et judicare possint. Omnes enim fere et accusare alium et purgare seipsos possunt, et de æquo et utili disputare videntur sibi posse. Sed hoc alii natura tantum sine ulla observatione aut exercitatione faciunt :... alii autem usu et exercitatione civilium rerum utilius et promptius utuntur oratione, unde factum est ut quædam observationes nascerentur, quibus collectis et comprehensis, esset quædam disciplina dicendi. »

His Victor de rhetorices munere et origine usus judiciis, hinc multum a Quintiliano distare perspi-

1. Aurel. Augustin., loc. cit.
2. C. J. Vict., p. 3.

citur qui usque adeo artis suæ amore nimio et nimia, ut libere dicam, verborum sententiarumque affectatione evectus est, ut severe disquisiverit rhetorica ars virtus necne esset[1]; illinc autem, ex Aristotele[2] videlicet et Hermagora auctoribus, cum ratione, et ea quidem verissima, consensit, qua recentiores homines non aliud rhetoricen esse arbitrantur, quam ex quibusdam observationibus collectis et comprehensis disciplinam quamdam dicendi natam. Equidem dedita opera in illo Victoris ecloges initio ab Hermagoræ ipsis fontibus ducto inhæsi, quod inde jam suspicari licet quam ubique in omni compendii illius cursu, qui ad inventionem et dispositionem attinet, judicandi et præcipiendi rationem noster persecuturus sit. Nusquam enim ibi, etiam quum plurima ex Tullio et Fabio decerpet, aut illius miram ubertatem et fecundissimi omnium ingenii impetum et plenis veluti ripis flumen eloquentiæ in eloquentia enarranda exundans, aut hujus judicium, acumen, copiam, et eruditam singula accurate et componendi et scribendi elegantiam imitabitur; sed subtilibus et brevibus et plerumque jejunis Hermagoræ modo tractatis disputationibus utetur. Nusquam obliviscetur, neque aliud se in rhetoricis de inventione et dispositione præceptis inquirere, nisi quod recto itinere ad agendum usitatas in civilibus negotiis causas, aut ad versandum in communis hominum vitæ consuetudine proficiat, neque se aliud ante oculos, hoc opus hinc illinc compi-

1. Quintil., II, 20.
2. Aristot. *Rhetor.*, lib. I, cap. 1.

tantem, propositi habere, nisi ut præcipuas et etiam vulgatissimas dicendi leges ad juvenis illius (quicumque sit) intellectum aptet, cujus gratia conscripsisse librum Maio visus est Victor.

Quem quidem rhetoris nostri finem, humillimum profecto, sed certum et facile dignoscendum et ubique ad res in vita gerendas traductum, si plane perspexerimus, perspiciemus simul quare Hermagoream potius, quam Tullianam et Fabianam viam ingressus sit, non modo in iis quæ ad rhetorices definitionem, sed etiam in his quæ ad causarum status et divisiones et argumentorum locos referuntur. Quamvis enim acerrima philosophiæ sagacitate causarum constitutiones Tullio disquirenti, verissime universos causarum status, de quibus tot ac tam diversa rhetores antiqui a Quintiliano memorati disputaverunt, ad tria hæc quæstionum genera seu rationales seu legales reduci et posse et debere apparuerit, ad conjecturam scilicet, et finem, et qualitatem [1]; quamvis Quintilianus ipse assensu suo lucidam brevitatem approbaverit [2], qua Cicero in virilibus de Oratore libris ea damnaverat quæ in commentariolis, ut ait, a puero inchoatis ab Hermagora assumpserat, et qua in tria hæc *sitne? quid sit? quale sit?* quæcumque aut in controversiam aut in contentionem venirent, contraxerat, nihilominus causarum constitutiones dividendi ratio ab Hermagora instituta causas dicentium utilitati maxime accommodata erat. Quod ipse Tullius,

1. Cic. *de Oratore*, II, 25-26; cf. *Orator*, cap. 34, in quo paululum specie diversa de causarum generibus Cicero proponit, revera autem facile ad eamdem disciplinæ rationem reducenda.

2. Quintil., III, 6, 56-60; III, 6, 80.

Fabius ipse agnoverunt; quippe qui cum merito, brevitate illa quam supra retulimus, quæstiones omnes ad tria genera revocaverint, non minus deinceps, in explicando quæcumque ad causarum status attinerent, Hermagoream divisionem, utpote percommodam et pervulgatam adhibuerint. Nemo igitur admiretur quare et quonam pacto rhetores vel plerique vel omnes Latini, Hermagoræ auctoritatem de ea re, inter quos imprimis eminet Victor, usque ad Isidori Hispalensis ætatem, secuti sint. Namque ut ceteros latine dicendi scriptores, qui in oratorem docendo non eximia ingenii apud Quintilianum et Ciceronem præcipue amplitudine usi sunt, sed operarii veluti homines vulgata tantum et ad agendum prompta præceperunt, sic Victorem nostrum eadem oratoriæ doctrinæ humilitate contentum, didascalicum et nudum rhetorem, Hermagoras ille quasi optimus ductor direxit et edocuit. Nec id mirum; ipso enim vitio isto, quo per minutas rerum particulas singula dividendi laborasse Hermagoras, « vir alioqui subtilis et in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimium sollicitæ[1], » dicitur, is infimos Latinæ eloquentiæ in dies decrescentis præceptores, et ideo Victorem, induxisse potissimum ad sui imitationem videri potest.

Quæ quum ita sint, et inde intelligatur quare tanto studio multa Hermagoræ præcepta ad inventionem et præcipue ad causarum status spectantia amplexus sit Victor, nonne merito admiremur quibus de causis noster ille rhetor sub Artis initium, quo singulos dividit quæstionum tum legalium tum

1. Quintil., III, 11, 22.

rationalium locos[1], non magni generales eas theses facere videatur, quas Hermagoras senior (is nempe quem sequitur) ad rhetoricam pertinere dixerat, quum contra junior, Quintiliano memorante, negaverat? Qui fit ut in gravissima re, si non penitus dissentiat, at certe aliquatenus ab exemplari suo seniore Hermagora discedat? Fatetur quidem Victor rectum esse in unaquaque causa ordiri a generalibus quæstionibus, et ab iis gradatim ad speciales, id est, ad causæ proprias descendere. « Intuendum tamen est, inquit, ne nimis immoremur generalibus quæstionibus, sed præcipuam congressionem ad causæ proprias conferamus species. Disputatio enim generalium apud animos judicum præparabit tantummodo aditum, ut magis persuadere possis quum de specialibus disputabis.... Etsi generales nonnihil prosunt, nisi tamen cum summa industria speciales fuerint elaboratæ, frustra sit in generalibus opera consumpta. »

Ego autem quanquam non infitias eo omnia hæc recte a Victore esse disceptata, vere tamen mihi videre videor ab eo Hermagoreas theses sive infinitas quæstiones, pretii minoris, quam a Cicerone et Quintiliano, æstimari. Frustra enim dicet aliquis Hermagoram a Tullio juvene in primo de Inventione libro esse reprehensum, quod materiam rhetorices in theses et causas diviserit. Hæc quidem ibi Cicero scripsit : « [2]Causam esse dicit Hermagoras rem, quæ habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; quam

1. C. J. Vict., cap. IV, § 1, p. 24-25.
2. Cic. *de Inventione*, I, 6.

nos quoque oratori dicimus esse attributam.....
Quæstionem autem eam appellat, quæ habeat in se controversiam in dicendo positam, sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum : Ecquid sit bonum præter honestatem? Verine sint sensus?... Quas quæstiones procul ab oratoris officio remotas facile omnes intelligere existimamus. » Et paulo post, totum hoc genus quæstionis ad philosophos Cicero refert[1]. Sed, ut recte admonuit Quintilianus[2], hæc deinde a Cicerone ipso improbata sunt. Quippe[3] qui in Oratore, atque iis, quos de Oratore scripsit libris, et Topicis, præcipiat ut a propriis personis atque temporibus avocemus controversiam, « quia latius dicere liceat de genere, quam de specie, et, quod in universo probatum sit, in parte probatum esse necesse sit[4]. » Quin etiam adeo in contrarium de ea re jam senior Cicero immutatus est, et tanti ponderis universales illas quæstiones esse in eloquentia duxit, quas junior neglexerat et ad oratorem pertinere negaverat, ut Antonii nomine in libris de Oratore scripserit in genere esse universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus, omnem quæstionem[5]. Quocirca sub Bruti finem, quo omnes eloquentiæ facultates explicat quibus se significat apud Romanos excelluisse primum et oratores ceteros caruisse,

1. Cic. *de Inventione*, I, 6.
2. Quintil., II, 15, 6; III, 1, 20; III, 6, 58 seq. et 63; III, 5, 14 et 15.
3. Cic. *Orator*, cap. 36; *de Oratore*, II, 30-34; III, 30; *Topic.*, cap. XXI.
4. Quintil., III, 5, 5-15.
5. Cic. *de Oratore*, II, 32 et 33.

« Horum nemo erat, inquit, qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quæstionem universi generis orationem traduceret[1]. »

Cui quum quæstionum generi tantam in oratione omni præstantiam Tullius assignaverit, quem quum in ea opinione, tum fere ceteris omnibus Quintilianus secutus est; quare C. Julius Victor et Hermagoræ et illorum præcepta imitatus, etsi longe abest ut generales theses ab orationibus secluserit, eas tamen minore cura, quam antiqui rhetores, respexisse dicendus est? Ob alias fortasse causas, et propter hanc imprimis, res nobis ea est quæ explanetur. Scilicet quondam, quum eloquentiæ et philosophiæ artes paribus studiis florerent, quum maxima oratoribus præmia in ingenti quodammodo eloquentiæ campo exspatiantibus proponerentur, quum eadem ingenii excelsitate et altitudine amplissimi viri nunc facundiam coram populo exercerent, nunc in otio philosopharentur, tunc profecto miro quodam philosophiæ et eloquentiæ consensu peculiarem unamquamque causam ad universalem quæstionem attollebant, ex qua copiose et varie disputata ad specialem deinde illustriorem ea re factam descendere solebant. Sic Tullius, verbi gratia, cunctas fere orationes ex angusto privatarum causarum spatio per incredibilem quamdam ingenii facilitatem ubertatemque ad generalium quæstionum cacumen, ut ita dixerim, erexit, unde lucem et mirum splendorem negotio, de quo agebat, afferret. Victoris autem, Galli, ut vi-

1. Cic. *Brut.*, cap. XCIII, 322.

detur, hominis, et ignoti utique rhetoris vix certa ætate, qua eloquentia in arctissimum erat gyrum compulsa, jamdudum a forensibus magnis causis et ab iis etiam certaminibus remota, quæ Plinii et Taciti tempore interdum in senatu agitabantur[1], quis locus vere excelsæ erat eloquentiæ relictus? E qua quum nihil, ut verisimile est, prope superesset, ac jam oratorum ethnicorum sæculi post Christum IV nulla esset exercitatio, nisi ut seu humiles et quotidiani generis causas apud pedaneos judices agerent, seu panegyricis quibusdam dictionibus vana ingenii figmenta et irritum acumen adjicerent, quid mirum si, oratoria facultate ad id humilitatis depressa, humi, ut ita dicam, rabulæ aut sophistæ adreptarent et parum in eo essent, ut eloquentiæ dignitatem et spatium per infinitas quæstiones amplificarent?

Hermagoræ igitur generales theses quamvis non omnino neglexerit Victor (quod quidem fieri nequibat, nam iis omni ex parte orator carere non potest), intelligitur tamen cur eas noster non animi eadem intentione et cura, qua antiqui rhetores ac præsertim Cicero, commendaverit.

Non longius in iis immorabimur quæ Victor ab Hermagora duxit, non quod non possemus, si liberet, per singulas præceptorum exemplorumque formas et species evagari, quæ Græcus rhetor Gallico rhetori præbuit. Sed quum eadem in iis omnibus fere occurreret conclusio, his contenti quæ generatim de Hermagoræ doctrina in Victoris Rhetoricam translata diximus, hinc protinus ad uberrimos

1. Plin. Jun., II, 11.

Ciceronis ipsius et Quintiliani fontes transeamus.

Priusquam autem novum illud materiæ genus ex ordine persequamur, pauca de illa præfari necesse est. Non ibi doctrinæ tantum præcepta quædam passim e veteribus rhetoribus, ut Hermagorea, eruenda inveniemus, sed præstantissima ipsa clarissimorum inter rhetores Latinos ingeniorum scripta in promptu erunt. Quæ quo plura et uberiora suppeditantur, eo nobis parciore diligentia cum Victoris opere conferentur. Itaque inter ea selegisse contenti quæ summatim comparationem illam exprimant, nulla alia ex Tullii et Fabii oratoriis libris decerpemus, nisi quæ cum dijudicanda Victoris Rhetorica Arte prorsus congruant. Non omnia etiam loca minutatim notabimus quæ sæpissime ad verbum transtulit ac sibi furatus est Victor, sed præcipua tantum animadversionibus illustrare tentabimus, ut inde facile de ceteris, quæ a nobis forte præterita fuerint, judicari possit.

Pleraque eorum de quibus ille post causarum status et communes argumentorum locos tractavit, perducta prope usque ad ipsum compendii totius finem, exceptis duobus ultimis de sermocinatione ac de epistolis capitibus, hoc est, præceptorum extrema pars quibus inventio continetur, ac deinde quæ ad dispositionem, ad elocutionem, ad memoriam ad pronuntiationem ac denique ad exercitationem spectant, nunc e Cicerone, nunc e Quintiliano ducta sunt. Cetera, quæ in hac rhetoris nostri parte ex alio fonte sunt derivata, deberi verisimile est cuivis alii rhetorum eorum de quibus supra mentionem fecimus; sed quoniam, ut dictum est, non aliorum

ibi vestigia deprehendi possunt, quam trium a nobis memoratorum, quorum jam Hermagoram percensuimus, de Cicerone nunc tantummodo et Fabio cum Victore conferendis cogitemus.

---

§ 2. De triplici ratione qua Victor Ciceronem et Quintilianum secutus est.

Pertractato, omni quæ in nobis diligentia fuit, Victoris de materiis nuper commemoratis universo volumine, ad id judicii de ratione qua Tullium et Fabium sequitur adducti sumus, ut Gallicum nostrum rhetorem censeremus aut nihil ab exemplaribus suis immutare, aut quædam contrahere et contractis sæpissime obscuritatem afferre nativamque venustatem eripere, aut rarissime nova aliqua et immutata et etiam contraria seu Ciceroni seu Quintiliano opponere. Nos quidem, in ea expendendo quæ ab ambobus Victor desumpsit, hanc in tres partes ita ante oculos habebimus divisionem, ut primum præcipua colligamus quæ ad verbum transtulit, deinde de illis disseramus quæ obscuravit et innato quodam apud primigenos scriptores lepore nudavit, denique autem de rebus disputemus quas aut immutavit aut contrarias magistrorum suorum præceptis objecit.

Quanquam quid attinet cuncta sedulo congregare quæ a Cicerone et Fabio composita in Rhetoricen suam contulit Victor? Abunde profecto primæ trium divisionum parti modo descriptarum superque satisfecerimus, si summatim prænuntiaverimus cuncta fere rhetoris capita, jam inde a communibus argumentorum locis usque ad ipsum pæne ope-

ris totius terminum, nunc e Cicerone, nunc e Quintiliano esse transcripta.

Omissa ergo omni hic disputandi mora, ad secundam triplicis descriptionis partem confestim pervenire opportunum est, ubi in deterius plerumque Victor Tullii et Fabii exempla commutavit. Quorum ea tantummodo quæ maxime insignia sint, modo e Cicerone, modo e Quintiliano, secundum Rhetorices Victoris ordinem ducta, expendi operæ pretium erit.

Primum hujus generis exemplum a rhetoris nostri octavo capite petatur. Ibi de probabili argumentatione quædam a rhetoricorum primo Ciceronis libro deducta præcipiens, eamdem atque Tullius[1] inductionis formam proponit, e lepidissimo Socratici Æschinis sermone translatam, in quo interroganti Aspasiæ male respondent nunc Xenophon, nunc Xenophontis uxor. Quod quidem exemplum eo pretiosius, quod rarissimis unum est ex fragmentis Socratici Æschinis, et perspicue a Quintiliano[2] commemoratum, curte et illepide et obscure a Victore allegatur, qui neque ullum eorum ibidem colloquentium nominat, neque unde illud traxerit admonet, ideoque tantam caliginem legentibus obducit, ut nisi Ciceronem et Quintilianum aut prænoscerent aut adirent, vix satis intelligerent truncatum a Victore et nativa venustate destitutum exemplum.

Non eadem severitate deinde reprehendendus videtur Victor[3] quod, quum perfectum oratoriæ artis

1. Cic. *de Inventione*, I, 31.
2. Quintil., V, 11, 27-29.
3. C. J. Vict., cap. IX.

syllogismum in quinque partes distributum esse, Aristotele et Theophrasto et Cicerone auctoribus, dixerit, non firmissimam illam Tullii[1] ratiocinationem addiderit disputatione confirmantis qua causa ita se rem habere necesse sit. Noster enim brevia solum orationis præcepta sibi scribenda proposuit, ac dummodo lucidam in iis brevitatem attigerit, omne tulit operis sibi destinati punctum. Quapropter ne illi vitio vertamus quod mutila aliqua et curtata de inveniendis et disponendis ab oratore rebus conscripserit; neque admiremur quare, quum de egressione[2], verbi gratia, quædam in librum suum ex Institutione Quintiliani[3] oratoria traducat, jucundissimam eorum partem silentio prætereat quæ Fabius, dum suæ ætatis orationum plerasque degressiones vituperaret, pulcherrime degressus explanavit[4].

Quamvis autem concisum esse compendium suum Victor voluerit, nemo non arida et exsanguia esse merito dicet quæ de facetiis et dicacitate præcepit[5]. Non quod ibi magis, quam alio loco, aut Ciceronis[6] copiam, aut Quintiliani[7] diligentiam exposcere debeas, sed quod sive degressionem, sive ceteras rhetorices materias tractando, Victor nunquam fere unam ex iis novis et notatione dignis observationibus inserit, ex quibus facile

1. Cic. *de Inventione*, I, 34-40.
2. C. J. Vict., cap. XVII.
3. Quintil., IV, 3, 12-17.
4. Quintil., IV, 3, 1-11.
5. C. J. Vict., cap. XVII, p. 93-94.
6. Cic. *de Oratore*, II, 54-71.
7. Quintil., VI, 3, 1-112.

ætatis qua vixit oratorum virtutes et vitia dignoscantur.

Quemadmodum enim operis hujus dictio nihil proprium, nihil insigne, nihil distinctum habet prope, unde genuina quædam apud Victorem scribendi ratio et vera ejusdem ætas ex ipsius sermone discernatur, itidem ferme nihil usquam in rhetore nostro deprehendas, quo hujus temporum eloquentiæ succum quemdam et naturalem saporem reperias et quodammodo odoratus persequare.

Præterea nusquam fere ea breviter commemorat quæ Romanam eloquentiam ab Attica sejungunt. Itaque eo loco quo epilogum, e priorum omnium rhetorum consensu, in tres partes dividit[1], enumerationem, indignationem, conquestionem, non Quintilianum[2] sequitur recte admonentem affectus in epilogo ab Atticis plerisque esse, propter Atheniensium leges et disciplinam, neglectos.

Non longius, quam mihi statutum est, in iis inhærebo quæ sequuntur, et quorum necessario inchoatam partem de elocutione, de verborum numeris, et de dictionum sententiarumque formis, confuso quodam brevitatis nimiæ acervo congessit[3]. Sed non possum quin paulo diutius ea considerem, quæ in secundo et vicesimo operis capite, sub incerto illo Obliquitatis titulo, in indigestum cumulum rerum congregata sunt et compilata. Quis enim, nisi intente legerit, sibi fingere animo possit, uno illo titulo *Obliquitatis* collecta omnia hæc significari quæ

1. C. J. Vict., cap. XVIII.
2. Quintil., VI, 1, 7.
3. C. J. Vict., cap. XX-XXI.

et obliquitatem ipsam [1], et rationem qua figuratis controversiis responderi oporteat [2], et verborum figuris adhibendum modum [3], et pravam affectationem seu cacozelon [4], exemplo apud Quintilianum [5] clarissimo, apud Victorem autem obscurato, demonstratam, et varia elocutionis [6] ornamenta, et sententias [7] illas quæ nimia affectatione post Ciceronem magis ac magis increbuerunt, et tria dicendi genera [8], et quod in oratione decorum dicitur [9], et per varia membra definitos verborum ambitus [10], et quod Græci ethos pathosque [11] vocaverunt, et denique aptæ et ineptæ locutionis [12] naturam comprehendant? Quarum omnium ex coacervata turba materiarum, singulas, si liberet, resumere in promptu esset, et singulis vicibus facile ostenderemus quantopere Victor omnem in partem seu splendoris, seu venustatis, seu excelsi et alti ingenii, seu viæ et rationis et manifestæ lucis, a Cicerone et Fabio exsuperatus sit. Sed nihil amplius ad rem toties eodem modo renovata conclusio conferret. De sententiis tantum id peculiare et proprium subjiciatur, Victorem scilicet, quum e Quintiliano [13] cuncta decerpserit

1. C. J. Vict., cap. xxi, p. 103-104.
2. *Ibid.*, p. 104.
3. *Ibid.*, p. 104.
4. *Ibid.*, p. 104-105.
5. Cf. Quintil. VIII, 3, 56-58 et VIII, 5, 21.
6. C. J. Vict., cap. xxii, p. 105-106.
7. *Ibid.*, p. 106-107.
8. *Ibid.*, p. 107-109.
9. *Ibid.*, p. 109.
10. *Ibid.*, p. 109-110.
11. *Ibid.*, p. 110.
12. *Ibid.*, p. 110.
13. Quintil., VIII, 5, 1-14.

quæ ad sententias attineant, et earum immodicos, Fabio auctore, usus merito vituperaverit, non sapienti illi et rectæ Fabii ejusdem prudentiæ deinde assensum esse, qua ille aliquatenus novo apud Latinos scriptores sententiarum generi indulserit[1]. Quem ubique constantis et sibimet temperantis judicii modum servat Quintilianus, quotiescumque allatas eloquentiæ post Ciceronem immutationes expendit, ab eo si non discedit Victor, eum tamen omittit et negligere videtur. Itaque quum declamationes quinto et vicesimo libri capite, secundum Quintiliani præcepta, quam simillimas veritati esse jubet[2], totum in eo intentum esse Victorem dicas ut declamationum vitia demonstret, parum autem curare ut illarum utilitatem commendet. Contra Quintilianus, postquam sæpe illos reprehendit qui declamationes corruptius delectationis tantummodo causa decantant, eas, si recte adhibeantur, consummato etiam oratori utilissimas esse profitetur. « Alitur enim, ait[3], atque enitescit, velut pabulo lætiore, facundia, et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. »

Jam prope ad secundæ trium partium finem perveni, in qua mihi præscripseram, ut quædam ex iis inquirerem quæ in pejus immutata Victor e Cicerone et Quintiliano traxit. Mihi tamen, priusquam alio me convertam, adjicere pauca liceat. Id primum non inutile dictu videtur, Victorem fortasse et sententiarum et declamationum et ceterarum in elo-

1. Quintil., VIII, 5, 25-34.
2. C. J. Vict., p. 119.
3. Quintil., X, 5, 14.

quentiam inductarum novationum solummodo, aut saltem præsertim, nimios pravosque usus annotasse; seu quia novationes illæ jam inde a Quintiliano in dies pessumdatæ erant, et jam Victoris tempore rhetorum discipuli illis non aliter quam pessime utebantur; seu quia rhetorices compendium adolescentis cujusdam studiosi gratia scribebat, quem satius ducebat admonere, ut pæne omnino a pravis istis declamationum deliciis caveret, quam auctoritate sua, Quintiliani in morem, inducere, ut earum utilitatem spectaret et sibi indulgens accommodaret. Hoc denique postremum in secunda illa inter Victorem et Ciceronem Fabiumque comparationis parte animadvertatur, rhetorem nempe nostrum, quum de pronuntiatione[1] eloquitur, utrique esse longe imparem; ut qui neque fecundam Tullii brevitatem, neque paulo quidem minutiorem, at divitem tamen, de ea re Quintiliani copiam consequatur, sed inconsulto diversa utriusque generis admisceat. De exercitatione[2] pariter amborum præcepta potius congerit, quam rationem docendi et ubertatem dicendi exprimit. Nec sine causa; nam præter inferius Victoris ingenium, si cum utriusque ingenio conferetur, quæ tam inter se dissimilia, quam incredibilia hinc oratorum, Tullio florente, et magna etiamnum, Quintiliano docente, exercitationis studia, amplissimis propositis præmiis incitata; illinc autem deminuta, et in arctissimum, ut antea diximus, Victoris ætate, spatium compulsa oratoris munera? Quomodo enim qui de stillicidiis, aut de

1. C. J. Vict., cap. xxiv.
2. *Ibid.*, cap. xxv.

parvo heredio, aut de ignota aliqua lite, aut de celebrandis panegyrico sermone laudibus similibus fere semper esset dicturus, eodem animo ingenii et eloquentiæ vires exercuisset, atque eo tempore quo vere de eloquentia Romanus orator scribebat[1]: « Neque vero mihi quidquam præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere? » Ne ergo admiremur quod, non eodem veluti divinitus instinctæ mentis ardore, quo Cicero[2], impulsus sit Victor, quum, prope sub operis finem[3], quid inter disertum et eloquentem virum interesset, prædicavit et distinxit.

Nunc ad tertiam partem suprascriptæ divisionis pergemus, in qua pauca illa adnotanda sunt, quæ pro arbitrio suo et nutu Victor e Cicerone et Quintiliano ducta immutavit, et aliter quam illi interpretatus est. Quorum duo tantummodo exempla proponam, alterum ad vocalium in elocutione concursum, alterum autem ad memoriæ usum pertinens. Verborum continuatio Victor[4] præcipit « ne sit hiulca, vocalium et maxime longarum crebra concursione: » quanquam Tullius dixit[5]: « Habet hiatus ille et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis quam de verbis laborantis. » Quintilianus quidem eo loco[6] quo eadem Ciceronis verba

1. Cic. *de Oratore*, I, 8.
2. Cic. *de Oratore*, I, 21; *Orator*, capp. v, xxi, xxix.
3. C. J. Vict., cap. xxv, p. 118.
4. *Ibid.*, cap. xx, *de Elocutione*.
5. Cic. *Orator*, cap. xxiii.
6. Quintil., IX, 4, 33-37.

refert, ita vocalium concursum vituperat, ut fateatur non tamen id, ut crimen ingens expavescendum esse. « Quare, inquit, ut negligentiæ est pars hoc pati, ita humilitatis ubique perhorrescere, nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipueque Theopompum. At Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam et coeuntes litteræ, quæ συναλοιφαὶ dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur, et nonnunquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quædam : ut : *Pulchra oratione acta omnino jactare*. Tum longæ per se, et velut opimæ syllabæ aliquid etiam medii temporis inter vocales, quasi intersistatur, assumunt. »

Satis mihi profecto magna est hæc scribentis Quintiliani auctoritas, ut gravitate illa et illo copiosissimi omnium rhetoris judicio et acumine refellendus Victor esse videatur. Etsi enim omnium eorum leporum ignari sumus, quibus antiqua sermonis Latini enuntiandi proprietas constiterit, libere tamen asseveremus neminem meliorem Quintiliano decoræ venustæque verborum pronuntiationis judicem temporibus suis affuisse.

Unde ergo fit ut non ibi, sicut alias, Tullio et Quintiliano Victor assentiatur ? Multis forsitan de causis discidium illud explicari potest, quarum has mihi suspicari liceat. Fortasse aut quia opus suum studiosi gratia adolescentis compilabat, præcipuas solum eloquendi leges scribere voluerat, hoc illi in futurum muneris reservans, ut postea, apud copiosissimos dicendi auctores, idem adolescens discerneret quæcumque in rhetorices præceptis usus et

ratio excepissent; aut pronuntiandi consuetudo paulatim post Quintilianum sub externo Galliæ cœlo immutata erat, in ea regione cujus olim poetæ sedulo a carminibus suis hiulcum omnem vocalium concursum erant vitaturi; aut denique immodica illa erga solutæ orationis dictionem severitate inductus est Victor, qua post Virgilium usque ad Claudiani ætatem, omnes prope poetæ impulsi sunt ut rigidius, quam ipse Maro, hexametri versus compedes quosdam servarent et vocalium in primis elisiones effugerent.

Quæcumque vero ratio adversus Tullii auctoritatem Gallicum nostrum rhetorem persuaserit, Ciceronem manifestum est magis intimo, ut ita dicam, animi sensu divinasse quæ, sicut Attici apud Platonem, ita, in humili dicendi genere, Latini sermonis negligens elegantia, et verborum inaffectata pronuntiatio requireret.

Sed ut jam posterius id exemplum attingamus, in quo diversa Tullii et Quintiliani præceptis professus est Victor, nec solum iis, sed plerisque aut omnibus apud antiquos rhetoribus obstitit, ad ea veniamus quæ brevissime de memoria[1] disputavit. In quibus quum primum thesaurum omnium rerum memoriam esse definivit, hæc deinde adjicit: « Ad hanc obtinendam tradunt plerique locorum et simulacrorum quasdam observationes, quæ mihi non videntur habere effectum. » Artem eam memoriæ a Simonide inventore, ut aiunt multi, profectam, de qua nihil in Rhetoricis Aristoteles tradidit, sed quam tantopere commendavit incertus Rhetoricorum ad

1. C. J. Vict., cap. XXIII.

Herennium auctor[1], quam nec Cicero[2], nec Quintilianus[3] neglexit, omnino Victor ex oratoria arte ejicit. Cujus quum longe diversæ a Latinorum dicendi magistrorum præceptis sententiæ causas disquirerem, eæ potissimum mihi dignæ visæ sunt quæ legentium judicio, quantulicumque sint pretii, subjicerentur.

Ante omnia id intuendum est, nempe quo longius a Rhetoricorum ad Herennium auctore, a Cicerone discedimus, eo minore in pretio et minore in usu habitam memoriæ artem videri. Itaque Quintilianus postquam, secundum veterum consuetudinem et Ciceronis verba, opus esse locis memoravit, quibus pro cera, simulacris quibus pro litteris utamur, hanc reminiscendi rationem ideo reprehendit[4], quod « impediri eorum, quæ dicit orator, decursum necesse est duplici memoriæ cura.... Quare, inquit, et Charmadas et Scepsius Metrodorus, quos Cicero dixit usos hac exercitatione, sibi habeant sua : nos simpliciora tradamus. »

Quæ quum nimiis ambagibus implicata et nimio labore inutilia postponat simplicioribus memoriæ subsidiis Quintilianus, cur Victor eadem omnino respuit? Præterquam quod memoriæ assiduus usus non eadem forsitan necessitate frequentabatur Victoris qua Tullii temporibus, ubi causarum et numerus et dignitas et quotidianæ subeundæ pro fama, pro gloria, pro vita, pro opibus procellæ exercitatissima oratoris memoria indigebant; aliam insuper

1. *Rhetorica ad C. Herenn.*, III, 16-24.
2. Cic. *de Oratore*, II, 86-88.
3. Quintil., XI, 2, 11, sqq.
4. Quintil., XI, 2, 25-26.

ob rationem, magis ac magis in dies antiquam memoriam exercitandi genus marcescens defloruisse ac tandem obsoletum periisse crediderim. Non solum enim ab eadem illa ingeniorum desidia quæ, Victoris ætate, longis veterum scriptorum voluminibus recentiorum compendia anteponebat, vulgarium causidicorum turba incredibiles eos labores respuebat quibus antiqui oratores, quum ceteras eloquentiæ partes, tum memoriam ad agendum comparaverant; sed etiam longo temporum experimento edocti homines, C. Julio Victori æquales, fortasse agnoverant profectam a Simonide memoriæ artem, si facillimo et uberrimo antiquorum quorumdam oratorum ingenio favisset, eam tamen nimio duplicis memoriæ pondere causas vulgate dicentium turbæ molem esse nimis onerosam. Quinimo Victor, quum omnem illam memoriæ secundum Simonidem artificii supellectilem spernit, immutationibus in Rhetorica Arte, per novas recentiorum scriptorum rationes inductis, signum quodammodo prænuntiat et proponit. Quum autem in his quæ cogitamus et in his quæ scribimus retinendis, Quintiliano[1] eadem præmonente, multum divisionem et compositionem prodesse prædicat[2], oratoriam iterum recentium rhetorum de memoria artem præcedit; qui quum et dicendi et scribendi præcepta expediverint et arctissimis veterum vinculis soluta liberaverint, idcirco planiora et simpliciora oratoriarum legum initia eloquentiæ discipulis obtulerunt.

1. Quintil., XI, 2, 36-39.
2. C. J. Vict., cap. XXIII, p. 111.

Hæc equidem præcipua in Victore occurrebant quæ cum Ciceronis et Quintiliani locis quibusdam conferrem, non ut utriusque quodammodo examinandas virtutes librarem cum exigua ac pæne nulla ignoti Galliarum rhetoris facultate, sed ut melius, ex ipsa tam diversorum librorum collatione, compendii illius, quod dijudicare tentavimus, natura et vis existeret.

Quorsum vero hæc nostra de Victore opinio spectat? Num, eo, ut affirmemus nihil in illo aliqua animi intentione dignum, sive laudetur, sive vituperetur, nihil novum, nihil inauditum, nihil utile inesse? Longe alia mea quidem sententia est: Nam ut pæne floccifaciendum esse Victoris compendium fateor, præ copiosissimis illis Fabii ac præsertim Ciceronis de eloquentia operibus; ita, si ipsum per se introspiciatur, atque omni ex parte hujus et virtutes et vitia et ex eo diversi generis perspicienda commoda pensentur, minime id contemnendum, quamvis aridum sit et exile, et fecunda omni singularum rerum explanatione careat, arbitror.

CAPUT II.

§ 1. Quæ virtutes et vitia in C. Julii Victoris opere, exceptis duobus ultimis capitibus, præcipua sint.

Ad secundam propositi nostri partem exponendam pertinebunt quæcumque, de virtutibus et vitiis et variis Rhetorices Victoris utilitatibus, summatim disputari possunt. Quarum profecto virtutum non est minima illa, qua sæpissime et passim sententiarum, verborum, temporum, personarum rerumque omnium convenientiam in perpetuo dicendi tenore servandam esse profitetur. Ubique enim, seu de vulgari dicendi principio imprimis fugiendo scribat [1], seu quid sit apte loqui breviter significet [2], seu indecoram pronuntiationem et indecentem habitum atque nutum reprehendat [3], semper Ciceronianum hoc ante oculos habet : « [4] Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius quam quid deceat videre, » aut illud [5] : « Nihil aliud esse ineptum quam minus apte dicere. » Quid plura ? tot ac tam frequenter variatis modis hic illic noster ea prosequitur, unde apta efficiatur oratio, ut mihi, si pace quum legentium, tum doctissimi Maii, suspicari liceat, ob constantem illam

1. C. J. Vict., cap. xv, p. 85.
2. *Ibid.*, cap. xx, p. 97; cap. xxii, p. 109.
3. *Ibid.*, cap. xxiv, p. 112, 114.
4. Cic. *Orator*, cap. xxi. Cf. *de Oratore*, I, 29.
5. Cic. *de Oratore*, II, 4.

decori commendandi curam, non minus quam ob ea quæ conjectavit Maius, Victor fuisse patria Gallus videatur. In qua nempe terra tanto olim ingeniorum proventu ditanda, inter ceteras dicendi et scribendi facultates, nescio quæ judicii sanitas, et hujus quod in omni oratione satis decorum sit conscientia præsertim eminebit, in ea obscurus IV post Christum sæculi homo, prima jam et diligenter animadvertenda, propriæ hujus futuris apud Gallos scriptoribus virtutis indicia demonstrat.

Quid quod, eadem recti judicii et incorrupti severitate instinctus, nusquam in libro recentiora scriptorum exempla, quam Quintiliani, nominat? Quare neque Senecas, neque Plinios, neque Frontonem illum commemorat, quem tamen Titiani hujus magistrum fuisse tradunt, unius ex his quorum præcepta quædam oratoria sibi vindicavit. At enim, dicat aliquis, nullum Victor recentioris Quintiliano scriptoris exemplum proposuit, non quod antiquos solum scribendi auctores magni æstimaverit, sed quia nulla se ansa et occasio Victori in rhetorico breviario præbuit, ubi recentiorum aliqua exempla allegaret. Cui quidem non ob eam causam opinioni assentior, quod assidua hujusce operis lectione et disquisitione exercitato mihi liquet futurum sane fuisse, ut nonnunquam in perpetuo ejus tractu a recentioribus scripta quædam insereret, si sua eum ad hæc inscribenda ibi voluntas impulisset.

Caveant enim legentes ne in Victoris compendii natura dijudicanda deerrent; quod quidem, ut mira nusquam Fabii Tulliique ubertate decurrit, sic non tam curtum est et minutum, ut rhetoricis quibusdam breviariis omnino conferendum sit. Quod si in ani-

mo habuerimus; si illum rhetoris nostri librum non minus quam paginis cxxvi contineri cogitaverimus, tum facile intelligemus, quum in iis Victor plurima Quintiliani et Ciceronis et vetustiorum etiam oratorum, M. Catonis Censorii, C. Gracchi, Fannii et aliorum loca congesserit, quumque nullum usquam alium post Quintiliani tempora scriptorem adjecerit, dedita profecto opera nullam horum cujuslibet a Victore esse factam mentionem. Et firmius etiam in sententia ea confirmabitur, qui secum contemptum quemdam recordatus erit, quo, ut breviter antea perstrinximus, sententias Victor et declamationes et panegyricas orationes insectatus est. Cujus quidem manifestius designandi causa fastidii, aut ipse, aut ignotus aliquis rhetorici hujus operis annotator, hoc in margine vicesimi et quinti capitis scholium subscripsit: « [1] Panegyricum est licentiosum et lascivum genus dicendi in laudibus regum, in cujus compositione homines multis mendaciis adulantur; quod malum a Græcis exortum est, quorum levitas instructa dicendi facultate et copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitavit. » Quapropter inde suspicari licet, neque Plinii ipsius Junioris subtile acumen et crebras sententias et in minuta quæque Trajani laudum præconia ornando venustatem, neque delicias illas et futiles argutias rhetorum eorum qui, sicut Mamertinus, et Augustodunensis Eumenius et Nazarius, et Pacatus Drepanius, Gallus, ut verisimile est, homo, Romanos principes extulerunt, Victori nostro placuisse. Quid etiam longius me progredientem ab id credendo

1. C. J. Vict., cap. xxv, p. 120.

deterreret, nempe forsitan ex industria panegyricas ideo orationes esse, in illo Victoris libri loco, ob nimiam laudandi lasciviam reprehensas, quod hujus ætate in Galliis eorum hominum genus abundaret et quasi pullularet, qui oratoriam dictionem pessimo prædicatis tumore laudibus depravarent? Unde infirma adolescentium judicia, et imprimis juvenis illius cujus gratia Rhetoricen composuisse eam videtur, plurimum damni et insanabile malum accipere poterant. Sed hæc conjectura tantummodo est. Quod autem pro certo habere debemus, id est fastidium, quo ubique constanti animo Victor novorum dicendi scribendique et generum et auctorum exempla neglecta prætermittit.

Contraria vero ratione ad ea libenter memoria recurrit, quæ veterrimi vel Romanorum scriptores suppeditant. Itaque ab ipso operis initio [1], quo inventionis leges exorditur, Catonis præceptum, ut ait, pæne divinum, adducit, quod Maius [2] sumptum e libro de Oratore, quem memorant prisci aliquot, suspicatur, quodque hac veterum brevitate scriptum ita a Victore nostro refertur : « Rem tene, verba sequentur. » Quod quidem deperditi libri fragmentum, ab illius viri ingenio profectum, qui fortasse ibidem, præclarissima definitione usus, oratorem virum bonum esse dicendi peritum scripserat, nobis sine Victoris opere ignotum periisset. Et tamen eo pretiosius existimandum est, quod inde perspici licet quemadmodum præcisæ hujus brevitatis sensum deinde varii scriptores, ac præsertim [3] Cicero,

1. C. J. Vict., cap. II, p. 5.
2. *Ibid.*, not. 2.
3. Cic. *de Oratore*, I, 6; I, 14; III, 5 et 6.

[1] Aurelius Augustinus et apud nostros Fenelo [2] ille, vividissimum antiquitatis florem sibi accommodans, explanaverint. Nec solum illum Catonis locum, aut Gracchanum hoc a Cicerone[3] pleniori verborum ordine commemoratum proponit[4] : « Quo me, miser, conferam ? in Capitolium ad fratris sanguinem ? an domum ? » sed etiam, præter inedita antea quædam ex amissis vel lacunosis orationibus Ciceronis loca, de quibus mox breviter disseremus ; præter mentionem desideratarum ejusdem ad Axium epistolarum[5], utilissima duo et pulcherrima hactenus ignorata, alterum ex C. Fannii oratione in Gracchum, alterum autem ex Ennii Sabinis depromptum, nobis, ut recte admonet Maius, conservavit Victor. « A Gaio[6], inquit, Fannio adversus Gracchum dictum est : « Si Latinis civitatem dede- « ritis, credo, existimatis vos ita ut nunc constitisse : « in concione habituros locum, aut ludis et festis « diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupatu- « ros putatis ? » Collegit enim non esse recipiendos in civitatem ex his quæ eventura sint. » Ad id Fannianæ orationis ineditum illud fragmentum prodest, ut ad M. Tullii auctoritatem testimonium quoddam adjiciat. Namque quum in Bruto[7] Fannii unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum, et bonam et nobilem merito, ut videtur,

1. *De Doct. Christ.*, IV.
2. *Lett. à l'Acad.*, IV.
3. Cic. *de Oratore*, III, 56.
4. C. J. Vict., cap. XXIV, p. 115.
5. C. J. Vict., cap. XXVII, *de Epistolis*, p. 124.
6. C. J. Vict., cap. VI, § 6, p. 51-52.
7. Cic. *Brutus*, cap. XXVI.

Cicero dixerit, atque eam ibidem Fannio orationem recte, contra nonnullorum dubitationem, vindicaverit; quumque prima etiam concionis ejus verba in tertio de Oratore libro [1] retulerit, profecto cum Tullii opinione confirmanda optime ea conspirant, quæ, multis post Tullianam ætatem sæculis, rhetor noster e Fanniana oratione in opus suum traducenda curavit. Ennii autem Sabinarum hoc inedito loco [2] : « Cum spolia generi detraxeritis, quam inscriptionem dabitis ? » confirmatur Ennio, sicut vere Maius [3] observat, titulus operis *Sabinæ*, quem diserte memoraverat Macrobius [4], sed quidam criticus immerito aboleverat [5]. Nonnihil ergo ad litterariæ rei apud Romanos historiam servata a Victore fragmenta proficiunt.

E quibus nonnullius illa momenti sunt quæ, passim ex deperditis Tullii operibus assumpta, exempla disposuit. Quanquam enim confitendum est horum pleraque esse breviora magisque truncata, quam ut ex iis quædam in unum veluti orationis corpus coalescant, in amissis vel mutilis concionibus pro Tullio [6], pro Fonteio [7], et contra concionem Metelli [8], Maio [9] tamen aliqua inde decerpenda esse utiliter videntur, ut Ciceronis lacunosis aliquot orationum locis lux affulgeat. Sed hæc hactenus.

1. Cic. *de Oratore*, III, 47.
2. C. J. Vict., cap. VI, § 6, p. 52.
3. *Ibid.*, not. 2.
4. Macrob. *Saturn.* VI, 5.
5. Adi Maium *ad Cic. de Rep.*, II, 7.
6. C. J. Vict., cap. VI, 1, p. 43; cap. XIV, p. 78 et 79.
7. *Ibid.*, VI, 2, p. 43-44; cap. VI, 4, p. 48.
8. *Ibid.*, cap. VI, 3, p. 45.
9. Ad. C. J. Vict., p. 43, not. 2.

Nos vero ad opinionem nostram reversi, qua Victorem e veteribus solummodo scriptoribus exempla proferre diximus, pauca illis respondeamus necesse est, qui forte nobis rhetorem nostrum objicerent, non modo recentiores Quintiliano dicendi magistros esse auctores secutum, sed etiam plerumque inanes istas declamationum materias et in scholis frequentatas veluti formulas, in prima præsertim operis parte, usurpasse. Aliud est profecto, secundum usitatum antiquis omnibus eloquentiæ præceptoribus morem et sæpe etiam a recentibus receptam consuetudinem, trita et vulgata sive orationum, sive declamationum loca, exemplorum gratia, referre, et varias vel novorum rhetorum opiniones, si modo rectæ sint, sibi accommodare; aliud auctoritate sua et proprio quodam studio comprobare, et in confusum exemplorum ordinem congerere quæcumque aut optimi, aut pessimi omnium scriptores posteris imitanda reliquerint. Quum enim dicendi magister, vel aliorum rhetorum vel etiam declamatorum, sicuti Victor, et leges et vetusto usu tritas materias proponit, id solum in animo habet, ut nuda et humili docendi rhetoricam artem ratione contentus, rhetorum omnium communibus vestigiis calcatam viam ingrediatur; quum autem e scriptoribus cunctis promiscue sententiarum vel levissimos ac maxime caducos flosculos temeraria manu cum immortalium operum incorruptis exemplis confundit, tunc sane, nullo discrimine inter diversas auctorum dicendi virtutes habito, id periculi adit ne ipse pravi judicii damnetur. Quo quidem, si nulla alioqui insigni virtute eminet, vitio omnino Victor immunis est. Quare quemadmodum Fabius orato-

riam institutionem aut recentissimorum eloquendi magistrorum sententiis ac legibus, aut plerumque etiam declamationum causis quas suasorias appellabant et controversias, refersit, nec minus tamen idcirco constanter argutias istas omnes ac delicias novi generis ab oratione repulit, quarum præcipuum auctorem Senecam graviter vituperavit; ita Victor, quamvis minori ingenii facultate præditus, declamatorias sæpe theses, rhetorum omnium instar, exempla ponit, et oratoria præcepta recentiorum etiam Fabio magistrorum sequitur; sed nullum unquam neque in orationibus, neque in epistolis conscribendis, auctorem alium, quam antiquos scriptores, et imprimis M. Tullium, nominat. A Quintiliano autem in ea re Victor, ut vidimus, discrepat, quod alter plenissima rerum sententiarumque copia exuberans, temperata excelsi ingenii gravitate antiquorum admirationem cum prudente erga recentiorum studia indulgentia conjungat; alter vero, ut angusti ingenii homo, in angusto rhetorices compendio inclusus, jejuna tantum exiliter edoceat ac nihil causæ afferat, cur aliquatenus in orationem recipienda sint quæ sunt a recentioribus immutata et novata. Sed eo loco hæc nihil ad rem.

At enim, si tam severa antiquitatis admiratione inductus, Victor novorum omnium scriptorum turbam a præceptorum Rhetoricæ Artis exemplis longe excludere videtur, quare non antiquorum Romanæ eloquentiæ principum studium pariter amplectitur, quo illi Græcorum litteras ex ipso fonte, plenissimo veluti haustu, exundantes, nec tenuissimis quibusdam rivis deductas, ut incredibilem restinguerent sitim, sibi assumpserunt? Victorem enim libere fa-

teor aut raro, aut nunquam, ad Græcorum ipsorum voluminum, quæ passim in opere suo commemorat, intimam perscrutationem et assiduum usum descendere solere. Qui familiari consuetudine cum veterrimis Romæ oratoribus versari videtur, eo fortasse apud Gallias diffuso antiqui apud Romanos dicendi generis amore captus, quo tantopere Quintiliani, Gellii, Macrobii æquales aliquot exarserunt, is etiamsi complura Græcorum nomina et scripta hic illic inserat [1], Demosthenis adversus Androtionem, Æschinis adversus Ctesiphontem, Socratis, Aristotelis, Theophrasti et aliorum; ea tamen, magis Latinorum auctorum fide et testimonio fretus, quam ipse Græcorum librorum lectione imbutus, veluti exempla subjunxit. Et sicut jam antea observavimus [2] quamdam inductionis formam, e lepido Socratici Æschinis sermone ductam, non ab ipsius Æschinis fonte hausisse, sed a primo Ciceronis de Inventione libro derivatam in suum opus traduxisse Victorem; sic (ut hoc solummodo designando loco contenti simus) quum Victor Aristotelis quædam aut ab exemplo, aut a parabola, aut ab enthymemate paradigmatico, aut ab apologo, exiliter, ut solet, ducta proposuit [3], hæc non ab intimis, ut ita dicam, Aristotelis [4] Rhetoricis extraxit; sed per Quintiliani [5] opem, pauca aliquatenus ex

1. C. J. Vict., cap. vi, 4, p. 30; cap. vi, 1, p. 42; cap. ix, p. 64; cap. xv, p. 84; cap. xxiv, p. 115.
2. Vide supra p. 28.
3. C. J. Vict., cap. vi, 4, p. 47; cap. xi, p. 68-69.
4. Aristot. *Rhetor.*, I, 2, § 8. II, 20, § 1-4.
5. Quintil., V, cap. ii, § 8; V, 2, 19-26.

Aristotele ipso transferentis, ea jejuno rerum ordine in Artem suam de rhetorica transcripsit.

Eodem Victor, quo Latini plerique sui ævi scriptores, vitio laborat. Scilicet Græcarum litterarum, si non inscientia, negligentia saltem in dies crescens, post Quintiliani tempora, apud eos deprehenditur. Quo longius Romani a Ciceronis et Augusti ætate discesserunt, qua Græci sermonis usus adeo frequens erat, ut eum vulgo Romæ principes usurparent, eo minori honore et consuetudine floruit; donec Romanum imperium in duas partes, Occidentis nempe et Orientis, discissum est. Quo e discidio factum est, ut inter Latinorum Græcorumque tum linguam, tum ingenia et mores, magis ac magis insignis diversitas interesset. Non mihi in animo est ut a proposita de Victoris libro disputatione degrediar, ut in universum multiplices exponam causas cur, in occiduis Romani imperii provinciis, minus minusque in dies Græcorum scriptorum notitia frequentata sit; quanquam Historiæ[1] apud Gallos litterarum auctores Græci sermonis cognitionem, longo etiam post IV sæculum tempore, non inusitatam fuisse in Galliis vere affirmaverint. Sed quoniam collata a doctis Benedicti monachis, de Græcæ linguæ in vetere Gallia frequentatione, testimonia non prohibent quominus id generatim colligatur, scilicet apud profanos omnes IV sæculi et etiam sacros scriptores, qui Latina lingua usi sunt, minus familiarem Græcarum litterarum notionem apparere, quam in Romanis scriptoribus, qui inde a Ciceronis ævo usque ad Quintiliani ætatem opera ediderunt, mihi a generali ista disceptatione ad Victorem des-

1. Tom. I, part. 2, *Prooem.*

cendere liceat. Quod si noster non eamdem, qua Cicero et Fabius, græce scriptorum librorum scientiam percallet, is non saltem dicendus est veterum Latini sermonis principum vestigia neglexisse, sed, quamvis ea, non minus quam Statius Æneida, adorare videatur, suis temporibus in dies crescentem Græcæ linguæ auctorum ipsorum incuriosam tractationem esse pro virili parte persecutus.

Quid quod Victoris ille mos, quo plerumque rhetorica quæque Græcis vocabulis significat latine scriptis, neutiquam eo me adducit, ut colligam inde Græcas litteras a Gallico nostro rhetore frequentatas esse? Contra autem nihil inde aliud rationis inferam, nisi quod Græcorum vocabula tum rhetoricis, tum didascalicis ceteris artibus omnino apta, idcirco a Victore usu capta sint, quia vulgari jam et obsoleto in scholis rhetorum more adhiberi solebant. Et tantum abest ut ex ea Victoris consuetudine spectantia ad rhetorices artificium Græca vocabula latine scribendi, concludam acriter Victorem e Græcorum fontibus hausisse, ut contra ex ea causa suspicari libeat, promiscua Græci et Latini sermonis ista colluvione illum uti, qua ceteri aut saltem plerique rhetores Latini usi erant, quam autem Cicero accurate effugit. Tullius enim, præsertim in pulcherrimis iis de Oratore libris, quos juvenilibus de rhetorica arte commentariolis longe anteposuit, quam rarissime Græcorum verba adhibet, ac libentissime Latinis vocabulis suas omnes sententias designat et explicat. Ipse Fabius, licet sæpius jam ad consuetudinem istam vergat, quam continuo tum Victor, tum recentiores rhetores habuerunt, multa rhetorices præcepta Græcis nomi-

nibus declarandi, tamen Latina non negligit, et quotiescumque Græca adhibet, hæc saltem plerumque Græcis litteris inscribit; quod quidem Victor minime curavit. Nec mirum; quantum enim Ciceroni et etiam Fabio, ante omnia in Latino sermone proprietatis et copiæ et elegantiæ cura ante oculos semper et in animo est, tantum Victor et humiles ceteri illi rhetores Latini, qui Quintiliani ætati successerunt, in eo solum intenti sunt, ut sine ulla ingenii sublimitate, sine proprio ullo scribendi colore et succo, arida et exsangui sententiarum verborumque exiguitate nuda rhetorices præcepta doceant.

Quare ne admiremur cur noster, quamvis constans sit antiquorum eloquentiæ amator, atque incorruptam judicii sanitatem et suis temporibus magni faciendam præ se ferat, nihil tamen excelsum, nihil novum, nihil fecundum, nihil in scribendo proprium, sed omnia undique compilata coacervataque legentibus præbeat. Quid enim aliud a rhetore illo exspectares, qui quum Ciceronis et Fabii paginas aut transcribit, aut deminuit atque truncat, nihil iis plerumque, nisi verba quædam parum usitatæ ac pæne jam barbaræ latinitatis adjicit, qualia sunt ea quæ Maius in locum unum sedulo congessit : compensativus [1], consiliatio [2], diffors [3], disperatio [4] (pro disparatio), enthymematicus [5], fidim [6], indiciva [7] (id est merces

1. C. J. Vict., cap. IV, 6, 8. Cf. Victorin. p. 137.
2. *Ibid.*, cap. XIV.
3. *Ibid.*, cap. III, 3, 5.
4. *Ibid.*, cap. X.
5. *Ibid.*, cap. XI.
6. *Ibid.*, cap. XVI.
7. *Ibid.*, cap. IV. Apud Apuleium *indicina*.

indicii), jurgiose[1], mimofabula[2], pompatice[3], præscriptivus[4], pragma[5], remotivus[6], responsorium[7], scurribilis[8], præsto pro præpono, parvum pro parum, prædo, as, scriptus, us[9]; præter Græcas eas voces plurimas quæ, ut supra dixi[10], latine apud nostrum auctorem usurpatæ sunt?

Constat igitur hoc Victoris opus omni rerum inventione, omni verborum splendore rhetoris proprio, omni significatione prope carere, quæ illius ætatem et peculiarem quamdam sive in moribus, sive in intellectu, indolem declaret. Non tamen noster rhetoricorum compilator ita omni nota, ingenii animique veluti speciem distinguente, destitutus est, ut non jure dixerit Maius se frequentibus indiciis dignoscere ethnicis superstitionibus innutritum esse atque imbutum Victorem. Quorum duo solummodo exempla proponam, quæ liquide demonstrent gentilem profecto eum hominem fuisse. Priore affirmat Victor[11] « natura justum esse, quod nobis nascendi sorte obvenit, ut parentes amare, amicis benefacere, inimicos persequi. » Posteriore vero, Quintilianum de figuratis quædam præcipientem secutus, dicere au-

1. C. J. Vict., cap. xxvi.
2. *Ibid.*, cap. xxvi.
3. *Ibid.*, cap. x.
4. *Ibid.*, cap. iii, 10. iv, 1. Cf. Sulpic. Vict. p. 232.
5. *Ibid.*, cap. iii, 4, 9, 15.
6. *Ibid.*, cap. iv, 6.
7. *Ibid.*, cap. xxvi.
8. *Ibid.*, cap. xvii.
9. Ut apud Frontonem (n. Maii).
10. Vide p. 50.
11. C. J. Vict. iv, 5, *de absoluta qualitate*, p. 32.

det[1] : « Etiam quæ non possis probare figura aspergenda sunt. Hæret enim nonnunquam telum illud occultum, et hoc ipso quod non apparet, eximi non potest. » Quæ quidem verba (quæ, ut obiter dicam, male consentiunt cum illa virtutis affectatione, quam constanter Fabius rhetoricæ artis gratia vindicat) sane cum iis conspirant et congruunt, quæ supra, quum de egressione loqueretur, professus est libere Victor[2]: « Sive habeas, ait, quod narres, ut id tamen sit mendacii stillicidiis aspergendum, sive totum fingas, maxima est virtus, ut ita facta demonstres ejus, de quo narres, ut sermo, ut vultus, ut omnia apta et competentia videantur, ut qui audiunt cerni illa fierique existiment. » Hæc fateor præcepta omni ex parte accommodata esse antiquorum oratorum et causidicorum artificiis; qui quum nihil certi haberent, quo suam causam confirmare possent, libenter ad mendacii, ut aiebant, stillicidia recurrebant, et Ciceronis instar Milonem defendentis, veris falsa commiscebant, ut veritatem ita depravatam fucatamque causarum utilitati (sic enim dictitabant) aptarent. Quod quum ita sit, quis ethnicum fuisse hominem rhetorem nostrum diffiteatur? Quod si longe alia res esset, nonne, utpote christianus vir, omni studio pravissimos veterum rhetorum errores confutasset? Itaque non solum exemplis iis quæ modo subjeci inductus, paganum fuisse Victorem, perinde ac Maius, crediderim; sed etiam totam operis quod compilavit formam inspiciens et mecum animo revolvens, ad eumdem conjecturæ, ne dicam, certissimæ ar-

1. C. J. Vict., cap. xxi, p. 102. Cf. Quintil. XI, 2, 75.
2. C. J. Vict., cap. xvii, p. 93.

gumentationis, finem pervenio. Ubique enim in eo compendio, servilem quamdam antiqua omnia seu moralia seu rhetorica præcepta consuetudinem sequendi, immutatione nulla a Victore allata, deprehendas. Scio equidem objecturos esse quosdam Cassiodorum nempe, exempli gratia, et Isidorum Hispalensem, huic tantum operæ in rhetorica contrahendo subserviisse, ut veterum vestigiis insisterent, neque aliquid quo christianam fidem declararent fere adjecisse. Quod etiamsi verum esset, nihil tamen hoc ad rem faceret; nam Cassiodori et Isidori adeo brevia sunt rhetorices compendia, aut potius capitum pæne summaria, ut minime mirum sit utrum in utriusque opusculis nihil offendatur quòd christianos scriptores significet. Sed quamvis præcisa sint et curta, passim in iis christiani moris vestigia deprehendas. Sic prope sub mutili de Rhetorica libelli finem, Cassiodorus [1] Fortunatiani præcepta de oratoris memoria, de pronuntiatione et voce commemorans, inde monachum prædicat cum aliqua utilitate discessurum, « quando ad suas partes non improbe videtur attrahere, quod rhetores ad exercendas controversias utiliter aptaverunt. » Isidorus autem nunc apostolum dicit [2] sæpe proponere, assumere, confirmare atque concludere, « quæ proprie artis dialecticæ atque rhetoricæ sunt; » nunc [3] « in causis majoribus, ubi de Deo vel hominum salute referimus, plus magnificentiæ et fulgoris exhibendum » esse prædicat; nunc [4] li-

1. Cassiod. oper., p. 1033, Ed. Petri Brossei.
2. Isidor. *Orig.*, II. *Rhetoric.*, cap. IX.
3. Id. *ibid.*, cap. XVII.
4. Id. *ibid.*, cap. XXI.

brum Ecclesiasticum antithetorum ornamento usum esse agnoscit. Quod si Cassiodorus et Isidorus in tantulis operibus nihilominus christianæ fidei obiter indicandi locum invenerunt, nonne item et multo magis etiam fecisset in libro suo Victor, si vere christianus fuisset? Nonne aliqua saltem ex parte, licet obscurus Galliarum rhetor, egregiam divi Aurelii Augustini indignationem expressisset adversus eos, qui rhetorica facultate uti christiani esse doctoris negabant? Nonne tantum abfuisset ut mendacii stillicidiis quibusdam aspersam orationem commendaret, ut contra Augustino pulcherrima hæc dicenti[1] suffragatus esset? « Quum per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum procemio facere; isti autem non noverint?... Illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter; isti pro veritate lenti frigidique dormitent? »

Sed quid plura? Non solum ex ipsius libro non christianum fuisse Victorem prope constat, sed eadem opinio aliis testimoniis confirmatur. Ne enim de Græcis istis rhetoribus et sophistis IV sæculi loquar quos, sicuti Libanium, paganos omni ope atque opera Julianus fovit ac tutatus est, Latino sermone usos et Gallos tantummodo rhetores hic designari satis sit. Quorum Ausonius princeps quum

1. Aurel. August. *de Doct. Christian.*, IV, 2.

splendidissimis Augusti Treverorum honoribus apud Gratianum et etiam consulatu decoratus esset, ethnicas tamen superstitiones, licet Paulini et magister et amicus, si non animi fide et voluntate, attamen perpetua excogitandi et scribendi ratione, servavit. Quin etiam Pacatus, ille elegantissimus Theodosii panegyrico sermone laudator, quem Gallum patria fuisse verisimile est, eodem inveterato errore imbutus videtur. Mihi in promptu esset modo Symmachi, modo Claudiani, modo ceterorum, qui latine IV sæculo scripserunt et in paganorum errore perseverarunt, nomina colligenti, asseverare diu multos Romana lingua usos scriptores hunc retinuisse, iis etiam temporibus, quibus Romani imperatores, præter Julianum, insigni diligentia ac severitate ethnicorum mendacia insectati sunt. Sed quoniam abunde ex iis omnibus, quæ supra composui, Victorem liquet ethnicum fuisse rhetorem, nunc locus inde concludendi est quæ tum Victorem, tum Victoris librum melius ac planius æstimari sinant.

Magni enim interest ad veram de rhetoris nostri facultate opinionem id comprobari, utrum ethnicus homo necne fuerit. Quum autem paganorum superstitione nobis manifesto innutritus esse videatur, quam quum maxime jam intelligimus cur in eo tantum sit, ut veterum rhetorum vestigia persequatur, et nihil novi, nihil præcipui eorum præceptis adjiciat. Quanam ratione rhetoricam artem paganus illustrare poterat, quum eloquentia ipsa nihil illustre edebat? Omnis ingenii lux, omne quodammodo moralis vitæ et gravitatis indicium, omnis magnæ eloquentiæ campus, omnis intelligendi vis, omnis nova quædam mente divinitus instincta pro-

creandi facultas, invitis aliquot ingeniosis viris Q. Aurelio Symmacho, Ausonio, Claudiano, Ammiano Marcellino et ceteris, de medio paganorum hominum cœtu sublata, ad christianos conversa erant, et renovata. Itaque, ut in iis solum immorer quæ ad rhetoricam attinent, quantum interest discrimen inter igneum Augustini vigorem, qui admirabilem in modum eloquentiæ præcepta, novo splendore decorata, ad christianæ religionis utilitatem accommodat, etiam quum ea spernere videtur, et Victoris humilitatem in præcipiendo et nescio quam exiguitatem, etiam quum uberrima Ciceronis et Fabii loca invenit. Non quod nonnunquam ille non celeri quodam ingenii et dictionis acumine discernat et percurrat quæ ad rectam eloquendi viam perducant. Sic eo loco ubi omnia peregit quæ de inventione tradi volebat: « Quum ad hæc omnia, inquit[1], præceptis fueris instructus, frustra fuerit, nisi et legendis et quantum fieri potest tenendis orationibus lectissimorum auctorum atque summorum, singularum specierum exempla consideres, intuearisque cum cura, quæ illic sit in procemio conciliandi judicis ratio, quæ narrandi lux, brevitas, fides, quod consilium, quam occulta calliditas, quanta in dividendo, quam subtilis et crebra argumentatio, qua jocunditate permulceat, quanta in maledictis asperitas, in jocis urbanitas, quæ amplificandi, quæ minuendi virtus, postremo quæ in omnibus partibus inventio exstiterit, intendas; imitationem cum arte conjungas : quia efficacior est per exempla doctrina, meliusque poteris perficere

1. C. J. Vict., cap. XVII, p. 96.

quod disces, si itidem quemadmodum fecerint, qui didicere, perspicias. »

Hac fatendum est insigni sententiarum verborumque celeritate mire comprehendisse Victorem quidquid ad eloquentiæ in inveniendo partes Cicero et Fabius, et ceteri rhetores pertinere dixerant. Recte hic pressus præcepsque dicendi impetus imaginem plenam effingit, quam sibi ethnicus homo de pagana eloquentia adumbrare poterat. Quorsum vero Victoris tempore illa spectant? Aut ad pauca (quantulus enim, ut diximus, sanæ ac præsertim excelsæ eloquentiæ jamdudum locus apud paganos erat relictus!) aut ad nihil. Augustinus vero quum christiani oratoris officia describit, non obsoletis paganorum rhetorum artibus vulgata præcepta, docendi tantummodo gratia aut nescio quem rabulam instituendi causa, docet; sed divino fidei, divino spei, divino charitatis studio inflammatus, ubique hominum salutis incredibilem cupiditatem et humanis affectibus excelsiores affectus declarat. Quam igitur aut exiguum aut inane aut confusum Victori propositum munus, tam ingens et salubre et illustre assignatum ab Augustino christianis oratoribus officium videtur. Quæ profecto diversitas nunquam in utroque manifestius apparet, quam in ipsis locis ubi ambo sibi congruere dicas. Victorem paulo antea oratorum imitationem discipulo suo commendare vidimus. Hoc idem facit christianis doctoribus præcipiens quædam Augustinus, sed quam diversa, proh Deus! auctoritatis gravitate, quam longe dispari virtutis veritatisque amore impulsus! « Qui non solum, ait[1], sapienter, verum etiam

1. Aurel. August. *de Doct. Christ.*, IV, 5.

eloquenter vult dicere, quoniam profecto plus proderit, si utrumque potuerit, ad legendos vel audiendos et exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentius, quam magistris artis rhetoricæ vacare præcipio : si tamen ii qui leguntur vel audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur. »

Non sane puerilibus indulgere volui deliciis, Augustinum et Victorem conferre inter se tam differentes viros tentando, præterquam quod ea collatio, etiamsi fieri posset, non hujus loci esset. Itidem non mihi dissimulavi haud eadem postulanda esse a rhetore (etiamsi christianus fuisset) qui juvenis gratia, forensibus certaminibus se comparantis, scripsisse rhetorices compendium videtur, et ab uno e præstantissimis Ecclesiæ doctoribus, qui quum gravissime de Doctrina Christiana scribit, quædam ex uberrimo ingenii fonte hausta de sacri oratoris munere obiter effundit. Sed ex omni illa disputatione hoc trahere in animo fuit, nempe, etsi non aliud a Victoris compendio (etiam si christianus fuisset homo) exigi deceat quam quod rhetorices istud brevarium postulabat, tamen futurum fuisse ut major sententiarum dignitas et vis et splendor et gratia et novitas et copia et gravitas ibi effloruisset, si non, servili more, veterum tantum paganorum rhetorum vestigia, paganus ipse rhetor, fuisset insecutus.

§ 2. De quibusdam rhetoris nostri utilitatibus.

Sin autem, inferiori illa Victoris parte omissa ac præteritis parumper ejus vitiis de quibus nuper locutus sum, ipsum per se perspexeris et paululum te ad virtutes quasdam retuleris quas supra exposui, non profecto omnis esse utilitatis expers rhetoricum hoc opus videbitur. Namque præter libertatem quamdam judicii, quam ab illo interdum etiam erga Ciceronem et Quintilianum exerceri animadvertimus; præter illam convenientiæ et decori observantiam, quam iterum iterumque in perpetuo orationis cursu tenendam esse admonet; præter eam antiquitatis admirationem (eo fortasse paulo quam decuit severiorem, quod scriptores omnes Quintiliano recentiores excludere videtur) quæ insignis est in IV sæculi homine, et quæ effecit ut nobis inedita quædam ante Maium fragmenta Ennii, Gracchi, Catonis, Fabii, Ciceronis servarentur, nonnihil quoque utilitatis, ut equidem sentio, afferunt etiam vitia quibus Victorem laborare dixi. Quorum aliqua esse observavi et barbarorum vocabulorum inter Ciceroniana et Fabiana loca colluviem, et Græcorum ipsorum scriptorum quamdam negligentiam, et ethnicos errores tum de inimicorum odio, tum de mendaci concessa ab eo causidicis calliditate, passim in opere scatentes, et denique nescio quid obscurum et christiani doctoris auctoritate eadem profitentis inferius, etiam quum eloquenti sentiendi scribendique celeritate noster ea recolligit, quæ ad oratoris inventionem attineant. Quæ quidem omnia, seu virtutes seu vitia, non ple-

niori Romanarum litterarum notitiæ inutilia sunt, sive cum antiquis fontibus, unde pleraque hausit præcepta Victor, conferantur; sive cum christianorum ejusdem ævi operibus comparata, hinc paganorum in dies decrescentia ingenia, illinc rationem, qua christiana fides animos etiam in rhetorica arte renovaverit, in illustriori lumine collocent.

Quibus cunctis generatim propositis et virtutibus et vitiis et utilitatibus, complures forsan alias commodorum, hinc inde e Victoris opere ducendas, particulas addere deceret. Mihi summatim dicere sufficiat, passim in eo variatas e Ciceronis et Fabii quibusdam locis lectiones inveniri, quorum aliqua grammaticis non supervacanea fortasse videantur, sed quæ omnino præterire quam perstringere satius esse duxi. Quapropter hisce omnino relictis, breviter tantum indicare liceat non inutilia rhetoris nostri duo loca, ac deinde pervenire ad tertiam nec minimam profecto destinati nobis operis partem, ad ultima duo Victoris Rhetorices de sermocinatione et epistolis capita. Locorum horumce priore, egregiam hanc juris civilis definitionem obiter affert Victor[1], magis plenam et integram, quam definitio ejusdem juris in primo de Oratore[2] libro, sed in Topicis[3] a Tullio propositam, et fortasse e quodam ex claris illis jureconsultis mutuam assumptam, qui ante Ciceronem aut hujus temporibus eminuerunt : « Jus civile est quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis,

1. C. J. Vict., cap. III, § 3, p. 12.
2. Cic. *de Oratore*, I, 42.
3. Cf. *Topic.*, cap. V, § 28.

juris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate, consistit. » Unde colligi potest hanc definitionem usque ad Victoris ævum usu quodam a juris peritis esse consecratam. Posteriore vero, quem obiter designare volui, loco, Ciceroni placuisse dicit Victor [1] in secundo Artis Rhetoricæ, egressionem non ponere in numero; quod de causa egredi, nonnisi per locum communem, putet oportere. « Videtur, ut ait Maius [2], intelligere Victor quæ præcepta sunt in tricesimo capite secundi libri Rhetoricorum ad Herennium. Quod si ita est, ipse in eorum sententia est, qui libros illos non Cornificio, sed Ciceroni, tribuerunt [3]. » Sed eruditi viri de illa quæstione certent, cujus solvendæ gratia, opinionem a Victore afferri visam indicavisse mihi satis sit.

1. C. J. Vict., cap. xviii, p. 94.
2. *Ibid.*, not. 1.
3. De cujus controversiæ disputatione adi J. V. Le Clerc, *Præfat. Rhetoric. ad Herenn.*

CAPUT III.

§ 1. Aliquot summatim de extremis duobus Rhetoricæ hujus Artis capitibus dicta.

Nunc ad tertiam inchoati a me muneris partem transeo, ut ordine singula recenseam, quæ de sermocinatione ac de epistolis primum apud antiquos Latinosque dicendi magistros, quorum quidem opera supersunt, a nostro sunt enuntiata. Hic forsitan legentes sperent se quiddam novi in illius compendio inventuros esse, siquidem materiam tum in Ciceronis, tum in Quintiliani, tum in ceterorum Latinorum rhetoricis artibus intractatam videbunt. Ex quo fit ut prorsus commendandæ Victoris rhetoris dignitati sufficere Maio [1] videantur vel duo postrema tractatus capita, quæ ad sermocinationem videlicet et ad epistolas attinent. Itaque qui antea nobis dictus est, neque is fuisse qui eloquentiam, Tullii et etiam Quintiliani more, philosophiæ quodam lumine illustraverit, neque christianorum IV sæculi doctorum fecunditatem et vim æquavisse, sed in illud solum incubuisse, ut e veteribus dicendi scriptoribus præcepta, nullo jam pæne in usu apud paganos, ad verbum transferret, is in firmiore deinde, ut ita dicam, solo consistet. Nam

1. De Vict. *Rhetoric.*, LXXI.

si ab eo die quo eloquentia pacata erat, id est oppressa et exstincta Romæ, rarissime aut nunquam deinceps locus fuit eloquentiæ hujusce miraculis, quorum immortalem imaginem in oratoriis suis operibus M. Tullius tradidit, sermocinatio et epistolæ saltem ad illud et dicendi et scribendi genus referri possunt, quod nunquam interit, et quod semper usu celebratum et frequentatum, idcirco firmissimo, et usque cum ætatum singularum diversitatibus renovando, præceptorum ordini locum præbeant. Quod equidem non infitiabor; caveant tamen lectores ne quid majus aut aliud a Victore exspectent, quam quod in ultimis illius libri capitibus reperitur. Namque si primus et unicus etiam e rhetoribus Latinis, quorum opera superfuere, in Rhetorica Arte quædam de sermocinandi et epistolas ratione conscribendi, vulgaribus dicendi magistrorum disciplinis subjecit, non continuo illius in rhetorica docendo novitatis princeps fuisse existimandus est. Contra autem verisimile est de iisdem materiis Latinos alios rhetores tractasse; quorum forsitan e libris Victoris duo extrema capita aut translata sunt, aut parum immutata, aut in angustius spatium coarctata. Quæcumque autem sint, et quocumque modo dijudicari illa oporteat, satis constat diu ante Victorem, diu etiam ante Ciceronem, non semel apud Græcos edita esse de sermocinatione et de epistolis præcepta. Præterea Tullium animadvertemus alibi, quam in oratoriis libris, quædam de iisdem rebus mira, ut solet, sermonis elegantia perstrinxisse, et in ipso Fabio paucissima quidem vestigia in hanc materiam ducentia deprehendemus.

Sed, ut primum ad Græcos veteres oratio se flectat ac devertat, Demetrius Phalereus in libro qui Περὶ ἑρμηνείας inscribitur, optime statuit et distinxit quo vinculo dialogus et epistolæ sociarentur, quo autem discrimine separarentur. « Artemon, inquit[1], qui exscripsit Aristotelis epistolas ait oportere eodem stylo dialogum scribere et epistolas : esse namque epistolam tanquam alteram partem dialogi. Et dicit aliquid fortasse, non tamen omne; oportet enim factam esse aliquo modo magis, quam dialogum, epistolam; hic enim imitatur extempore dicentem; hæc autem scribitur, » et cetera quæ in Demetrio sequuntur. Quin etiam, ante Demetrium Phalereum, Plato in Sophiste[2], ut Quintilianus[3] recte recordatur, eloquentiæ partibus quæ ad judiciale et concionale genus spectant « tertiam adjecit προσομιλητικὴν, quam sane permittamus nobis dicere sermocinatricem; quæ a forensi ratione disjungitur, et est accommodata privatis disputationibus; cujus vis eadem profecto est quæ dialecticæ, » et ideo paulum, ut fateor, ab ea sermocinatione dissimilis, de qua mox Victorem disserentem inducemus.

Non equidem dubito quin, si perlustrare nobis vacet quæcumque tum ante, tum post Christi tempora, vel Græci vel Romani scriptores de dicendi et scribendi arte composuerunt, hic illic quædam annotari possint et ad sermocinationem et ad epistolas referenda. Mihi modo inter Græcos divum

1. Demet. Phaler. *de Elocutione* (cum Petri Victorii commentariis. In officina Juntarum. MDLXII), p. 197

2. Plat. *Sophist.*, p. 222, ed. H. Steph.

3. Quintil., III, 4, 10.

illum Gregorium Nazianzenum nominare concedatur, antequam ad Latinos devertar, cujus ex elegantissimis epistolis quatuor ad Nicobulum amicum scriptas excerpi facile est. Ex iis quatuor præcipue unam distingui decet, ubi et modum et lucem et gratiam et sermonis simplicitatem epistolæ omni inesse debere admonet.

Græcis autem jam omissis, ad Latinos potissimum scriptores nos convertamus, quoniam eos aut unice aut saltem multo frequentius, quam Græcos, effinxisse Victor et esse imitatus videtur. Ut supra, ita etiam nunc primo loco Tullius annominandus est ex iis, quos sibi manifesto duces et auctores rhetor noster proposuit. Hic illic in infinita Ciceronis operum varietate loca occurrunt, quæ, prout res postulabit, cum Victoris similibus quadam ex parte locis conferemus. Quorum nullum profecto tam insigne eminet et tam accurate a nobis examinari oportebit, quam egregia illa et vere Romana de sermone, in primo de Officiis libro [1], præcepta. Quo quidem loco, sicut alias in oratoriis operibus, merito Tullius dixit contentionis præcepta rhetorum esse, nulla sermonis (Latinorum saltem, quoniam, ut ex Demetrio vidimus, Græci jamdudum rhetores de dialogis et epistolis quædam scripserant. Quanquam fortasse Græci tantum de imitandis Platonicum in morem, non autem de versantibus in quotidianæ ipsius vitæ veritate sermonibus cogitaverant). Atqui haud scire se ibidem Cicero profitetur, an possint hæc quoque de sermone præcipienda rhetorum esse. « Sed, inquit,

1. Cic. *de Offic.*, I, 37 et 38.

discentium studiis inveniuntur magistri : huic autem qui studeant, sunt nulli; rhetorum turba referta omnia ; quanquam quæ verborum sententiarumque præcepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. »

Fusius deinceps, quum Victorem ipsum adierimus, quam nunc, in pulcherrima illa Ciceronis dilatanda explanatione inhærebimus. In qua quum magnam vim orationis, eamque duplicem, alteram contentionis, alteram sermonis separavit, et contentionem disceptationibus tribuendam esse judiciorum, concionum, senatus dixit, deinde explicat quomodo « sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia. » Jam nunc vero obiter notemus optimo jure Ciceronem rhetoribus exprobrasse, quod in suis artibus contentionis tantum in oratione præcepta designavissent et maxime implicato rerum ordine descripsissent. Quod idem in secundo de Oratore libro[1] efficit. Ibi enim quum sub Antonii persona loquitur : « Videtisne, ait, quantum munus sit oratoris historia? Haud scio, an flumine orationis et varietate maximum. Neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum præceptis. Sita sunt enim ante oculos. » Ac paulo post : « In eodem silentio multa alia oratorum officia jacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda sunt omnia disertissime; sed locum suum in illis artibus quæ traditæ sunt, habent nullum. » Inde apparet plerosque aut Græcos aut Romanos dicendi magistros non de alia re, quam de eloquentiæ demonstrativo

1. Cic. *de Oratore*, II, 15.

et deliberativo et præsertim judiciali genere, præcepta conscripsisse; vel quod ea tantum artificio quodam illustrari volebant, quæ ad communem publici eloquii usum prodessent, vel quod ea facile translatum iri ad ceteras omnes dictionis cujuslibet partes existimabant. Ut de sermone, ita de epistolis aliqua, pauciora licet, sparsa recolligi in Tullii operibus haud arduum esset. Item in Fabii institutione quædam de utraque ea materia notare possis, quæ suo loco, sicuti Ciceroniana, proferri non inutile erit. Sed antequam ad Victoris ipsius duo ultima capita transeamus, Quintiliano auctore animadvertamus non esse admirandum quod e rhetoribus, qui postea floruerunt, tantum momenti et ponderis Victor in sermocinatione posuerit. Jam enim Quintiliani temporibus quidam, ut testatur [1], nullam esse naturalem putabant eloquentiam, « nisi quæ sit quotidiano sermoni simillima, quo cum amicis, conjugibus, liberis, servis loquamur, contento promere animi voluntatem, nihilque arcessiti et elaborati requirente; quicquid huc sit adjectum, id esse affectationis, et ambitiosæ in loquendo jactantiæ, remotum a veritate, fictumque ipsorum gratia verborum, quibus solum natura sit officium attributum servire sensibus. » Qua in disputatione, ut nonnihil veri esse Fabius concedit [2], ita illi merito « aliam quamdam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio. » Attamen disputatio hæc eo diligenter annotanda est, quod una est e causis quæ optime ostendant cur sermonis dignitas magis ac

1. Quintil., XII, 10, 40.
2. Quintil., XII, 10, 42-43.

magis necessaria Romanis visa sit. Namque quantum contentioni in eloquendo, in concionibus, in senatu, in judiciis præstantia et decus imminuta erant, ac pæne etiam denique sublata, tantum inani verborum fuco et sonitu defatigati animi excelsum dicendi genus sensim repudiaverant, quod jam, non subjacente litium gravitate et sententiarum pondere, nihil nisi declamationibus materiam præbebat. Contra autem, dum nimium quiddam in oratione grandi, verborum jactantiæ et affectationis tædio impulsi, fugiebant, in nimium gracilitatis quotidiano sermoni similis studium abrepti, splendorem omnem immerito de media eloquentia tollebant.

---

§ 2. Quæ C. Julius Victor de sermocinatione præceperit.

Sed utcumque se hæc habeant, jam ad ipsum Victoris de sermocinatione caput primo in ordinem et ad litteram describendum, deinde autem dijudicandum et cum locis iis quibus similia quædam contineat conferendum, veniamus.

« Sermocinandi, ait [1], ratio, non in postremis habenda est. Et quidem sermonis usus multo frequentior quam orationis est. Igitur sermonis est virtus elegantia sine ostentatione. Verba sint electa, honesta magis quam sonantia, paucæ translationes, neque hæ alte petitæ, modica antiquitas, sine figuris insignibus, sine structura leniore, sine periodo, sine enthymemate; denique omnis rhe-

1. C. J. Vict., cap. XXVI, p. 121-123.

toricas palæstras missas feceris, quæ ut addunt orationi auctoritatem, sic detrahunt sermoni fidem. Attamen habebit sermo lucem suam, ut sit simplex et æqualis, et ante omnia carens obscuritate. Sermonum argumenta, quæ semper esse vix seria possunt, plerumque se jocis inserentibus, tamen semper honesta sint. At non inepte neque jurgiose. Nam multos nugæ rapiunt ad fœditatem, nec non contentiones ad furorem. Quum tamen in omni parte vitæ, tum in sermonibus quies optima est. Fere sermo cujusque mores probat. Cave ne quem sermone lædas, vel aperto, vel inverso, vel absentem, vel coram. Agrestis ingenii est aut neminem appellare, aut de pluribus unum alterumve eligere, quicum fabulere. Superiores observare oportet, ut invitent clientes ad colloquendum, nam inferior modestius fecerit, si exspectet dum lacessatur, nisi quid rei suæ evenerit. Sermonum autem occasiones sunt et sciscitatio quid agant rogantis, et commemoratio quid tibi aut alteri evenerit, aut quid novæ rei audieris, quam tamen narrare non sit religionis, et admonitio ex re nata fortuita. Jam ubi statum est initium, res ipsa perducit. Nascitur enim ex responsione responsio. In quo cavendum est ne hinc illo, quo aiunt, transultes, aliudve quid, quam qua de re agitur, interseras. Neque porro obloquare, neque solus loqui postules, neque properantem morere atque odio obtundas. Ubique brevitas bonum est, sed in sermone præcipuum. Alterius enim tempore non abuti decet. Multum ad sermonis gratiam valet veterum exemplorum memoria, rerum novarum scientia, si illa accommodes, non ut quæsita, sed

ut obvia : et proverbiorum tempestivitas lepida est Græcorum atque nostrorum, et versus partesve eorum; ex oratoribus aliisve scriptis sententiæ, si loco proferantur, sermonem convenustant. Vita vernilia scurrarumque æmulationem; nam multi dum se facetos volunt, non modo verba, sed gestus quoque ac vocabula scurrarum exprimunt. Ita accidit ut nec quod esse debent sint, nec quod imitantur. Nec sermonem quasi orationem pronuntiaveris, nec præpropere loquaris, ne si possis quidem verba sine hæsitantia linguæ celeriter evolvere. Multo enim turpius si offendas sæpius quasi salebrosa festinatione. Neque tamen protrahere voces oscitantem decet, nec intervallis dividere. Bonus modus est in loquendo tanquam ambulando clementer ire, sine curriculo, sine cunctatione. Clamare in loquendo rusticum ac barbarum est; fit enim de sermone convicium. Jam si in publico aut in convivio clames, non agrestis modo, sed insanus habearis; rursus si ita demisse fabuleris, vix ut proximus audiat, hominis nimium delicati est. Et audire sermocinantem rationis est, primum ut attente audias, ne, dum res alias agas, quum responsorio opus sit, aliud respondeas; aut ignarus rogari quid videatur, consilescas. Deinde ut sinas propositum explicari, atque in loco occurras, ne duo aut plures, chori aut catervæ modo, constrepatis. Et hominum et locorum et temporum ratio servanda est. Alius cum superiore, alius cum pari aut proximo sermo est; item cum senioribus, cum æqualibus, cum pueris aut mulierculis. Quid ? in convivio putas eumdem debere esse quem in foro aut aliquo cœtu litteratorum? Quid quod ego scio quosdam

spectaculis aut conviviis aut ubi minime convenit doctrinam atque facundiam venditare, aut rem publicam strepere? Minime oportet vinum de poculo in mensam instillare, idque digitulo diducere in lineas [1]. Mala ista satio in convivio garrula ac per vinum diserta; et fere videas qui sicci ac sobrii nihil sunt, eos madidos friguttire. Et temporum tibi cura sit, ne in rebus tristibus læta, ne in lætioribus tristia introducas. Hi sunt enim quos Cicero ineptos vocat, qui neque ubi, nec quando, nec eum quibus fabulentur existimant, nec quamdiu, nec quomodo. Partim plus cachinno interturbant quam verbis explicant, verba concidunt, syllabas obscurant, litteras ut furto auferunt. Loquere opportune, honeste, latine, dilucide, placide, plano ore, vultu quieto, clamore nullo, sine cachinno, sine aliis notatis supra. Multum ad sermonis elegantiam conferent comœdiæ veteres [2] et togatæ et tabernariæ et atellanæ fabulæ et mimofabulæ; multum etiam epistolæ veteres, in primis Tullianæ. »

Victoris de sermocinatione caput ad verbum transcripsimus, quo rhetoris nostri ratio et via et ipse stylus, de ea re ex professo disserentis, planius dijudicari posset. Id autem facile in quatuor partes dividitur, scilicet primo loco dignitatem, secundo usum, tertio virtutes et vitia sermonis, quarto quod ad ejusdem perficiendi rationem plurimum confert.

1. Ut ille miles apud Ovid. *ep. Penelop.* v. 32 : « Pingit et exiguo Pergama tota mero. » (Not. Maii.)

2. Quem quidem sensum in hisce Plinii Junioris verbis expressum invenias : « Legit mihi (Pompeius Saturninus) nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi. » (Plin. *Ep.* I, 16.)

De primis quidem duabus partibus paucissima præfatus est Victor, sicuti de rebus omnino manifestis. Nobis vero animadverti satis sit omnia, Victoris ætate, sermonis tum præstantiæ, tum necessariæ consuetudini prædicandæ favisse. Præterquam enim quod nullus jam pæne, ut diximus, excelsæ et sanæ eloquentiæ locus erat relictus, novæ omnes rerum mutationes Romanorum moribus et ingeniis allatæ, magis magisque et sermonis et epistolarum sive necessariam rationem, sive usum commendabant. Quocirca non solum quotidiani sermonis mos tam mutabilis quam necessarius, sed etiam eloquentiæ jamdudum pessumdatæ et corruptæ quædam satietas, invitis rhetoribus et declamatoribus et sophistis, ad sermocinationis formam aliquot scribendi dicendique genera adduxerat. Quæ quidem orationis in sermonem immutatio, parum apud IV sæculi ethnicos homines evidens, clarissimis apud christianos indiciis significata est. Nam pro antiquæ eloquentiæ apparatu, in omnibus Romani imperii partibus, christiani, etiam quum pro suorum salute concionarentur, miram sermonis simplicitatem præposuerunt. Unde factum est, ut sacræ conciones apud Latinos sermonum, apud Græcos autem ὁμιλιῶν nomine vocarentur. At enim, quid ea res ad Victorem, si ethnicus fuisse verissime dictus est? Quemadmodum etiam in paganos homines, Senecam, Antoninum et alios, admirabili et nihilominus manifesta facultate, quædam ex uberrimis suis fontibus christiana infudit religio, et quamvis inscios tenuibus quibusdam rivis irrigavit, sic Victorem nostrum, et alios ethnicos ejusdem ævi scriptores, late jam doctrina dominatrix

etiam ignaros, nescio qua disciplinarum suarum obscura communitate impulit. Quid quod Gallicæ terræ, ex qua oriundus Victor videtur, nativus ille sapor, et Gallorum genti insitus quidam hominum societatis et urbanitatis amor, rhetorem nostrum fortasse induxit, ut potius quam plerique Latinorum rhetores, sermonis dignitatem et usum certo præceptorum ordine illustraret? Satis enim tum ex Ausonio, tum ex Symmacho, tum ex aliis auctoribus patet quantum sæculo IV, vel sermonis in cœtibus litteratorum, vel epistolarum elegantia in Galliis floruerit. Quibus causis hæc adjici potest, nempe ex iis litteratorum circulis qui ab ipsis Augusti temporibus, Horatio[1] teste, profecti erant, ac deinde tam uberem proventum, et Senecarum et Plinii Junioris ævo, poetarum et oratorum publice sua opera recitantium suppeditaverant, exortum esse sermocinandi, usque ad Victoris tempora, leporem quemdam ac perpetuum tenorem. Cujus in sermocinando rationis nulla prope superesse exempla desiderandum est. Attamen studiose veterum reliquias de sermocinatione erudito viro colligenti, et hujus initia ab antiquissimis Græcorum operibus, et ab eorum oratoribus et poetis, comicis præsertim, et a philosophorum sermonibus repetenti, et materiam eamdem in pulcherrimis Tullii dialogis, in epistolis, in aliis aliorum scriptorum operibus persequenti, et una cum Latinis auctoribus Græcos æquales, Plutarchum, Lucianum et ceteros revolventi, planissimam apud antiquos sermocinandi rationis imaginem et historiam

1. Horat. *Sat.*, I, IV, 73-78; *Epist.*, II, I, 108-110.

forsitan posteris tradere liceret. Sed utcumque hæc se habeant; brevi illa et summatim exposita de sermonis dignitate et usu, usque ad Victoris ætatem, notitia contenti, et paululum a proposito degressi, huc redeamus.

Qui postquam sermocinandi rationem non in postremis habendam esse, et hujus usum multo esse frequentiorem quam oratoris dixit, latius deinde ad ejusdem et virtutes et vitia designanda transgreditur. Repetere profecto inutile est quæcumque de tertia illa capitis ad sermocinationem attinentis parte professus est noster (qua totum fere caput continetur, et quam legentes supra transcriptam, si libeat, revolvant). Sed non possum quin animadvertam contrariis sibi virtutibus et vitiis tertiam hanc partem insignitam esse. Ut in omni fere operis cursu, sic præcipue in eo capite, non minus sano et incorrupto, et suis præsertim temporibus admirabili judicio, in singula describendo Victor excellit, quam in conjuncta alia aliis consociando antiquis rhetorum principibus inferior est. Nihil enim prope in iis omnibus quæ de sermocinatione scripsit reperias, quod non verum et nonnunquam etiam subtile sit; sed ita cum maximis minima, cum gravibus levia, cum novis vulgata et trita et obsoleta, et puerilem omnino disciplinam redolentia præcepta immiscentur, ut non satis admirari queas quo pacto idem homo tam diversa conglutinaverit. Atque, ut exemplo proferendo uno contentus sim (cetera enim facile lector supra repetita pro arbitrio suo complebit), quis non ægre Victorem ferat, postquam salsissimo sæculi sui convicio ineptos istos homines reprehendit, qui

spectaculis aut conviviis, aut ubi minime convenit, doctrinam atque facundiam venditant, aut rempublicam strepunt, ex abrupto et sine ulla orationis transitione ad exiguum hoc præceptum degredi, quo minime oportere ait [1] de poculo in mensam instillare, idque digitulo diducere in lineas? Nasonem scio scripsisse de milite : « Pingit et exiguo Pergama tota mero. » Hæc eadem prope lepido carmine Tibullum [2] expressisse fateor. Sed quantum suo loco et tempore hæc ab utroque dicta sunt poeta, nonne tam intempestive et insulse ne similia fierent, hic minutiora consectans, Victor admonuit? At, inquies, nimia eum severitate reprehendis, oblitus quod dixisti, scilicet illius opus juvenis cujusdam studiosi gratia videri esse factum; ideoque in illo haud absurde inserta esse quædam quæ, quamvis vulgata, non inutiliter incautum ac tironem adolescentem docerent. Ego autem respondebo, quanquam hoc opus, ad inexperti discipuli ignorantiam accommodatum, non eodem veluti examine ponderandum sit atque eminentissimi et omnino viriles Ciceronis et Quintiliani de eloquentia libri, debuisse tamen hujus auctorem severiori in componendis rebus adhibita ratione, non temere, in dissoluto nimium sententiarum ordine, disparia disparibus miscere. Et eo libentius impellor ut inæqualitatem istam in scribendo Victori vitio vertam, quod in eadem re Tullius juvenem, sicut videtur fecisse Victor, quum præceptis instrueret, hanc rerum inconstantiam et molestam diversitatem effugerit.

1. C. J. Vict., cap. XXVI, p. 123.
2. Tibull. *Eleg.* I, X, 31-32.

Scilicet in illo primi libri de Officiis [1], quem jam indicavimus, loco, ita de sermone Cicero cum Marco filio adolescente loquitur, ut ubique utilia et necessaria præcepta miro quodam jucunditatis sale condiat, et nusquam, ut Victor, puerile aliquid aut vulgatius aut extemporaneum præceptum injiciat. Quum enim aliis dicendi artibus, tum hac præcipue Cicero eminet, ut nunquam utilia in præcipiendo omittat, et tamen nihil quod obsoletum videatur, inserat, contra autem vel maxime usitata nescio quo novitatis nitore induat et coloret. Itaque quum in voce duo sequenda esse monuit, ut clara sit, ut suavis (quæ quidem præcepta fere omnibus nota sunt), tam opportune iis adjicit et Catulorum et L. Crassi diversorum eloquendi generum memoriam, ut hac renovata et refecta esse quæ docet videantur. Item, quum de sale et facetiis Cæsaris mentionem facit; quum quid deceat exquirens, sermonem commendat, in quo Socratici maxime excellunt, lenem minimeque pertinacem. Quæ Victor puerili interdum, et nimium, ut diximus, laxo ac dissoluto rerum tractu proposuit, ea Tullius firma quadam et grata et viriliter pressa brevitate conscripsit, sive sermonis vicissitudinem commendaverit et pro variis rebus varietatem; sive « haberi plerumque sermones aut de domesticis negotiis aut de republica, aut de artium studiis atque doctrina » dixerit; sive iis adhibendum esse modum et motus animi nimios eximendos esse, etiam in castigatione et in contentionibus admonuerit; sive « deforme esse de se ipso prædicare, falsa præsertim, et, cum

1. Cic. *de Offic.*, I, 37 et 38.

irrisione audientium, imitari militem gloriosum » præceperit. Quæ cuncta Cicero jucunda exemplorum ubertate nunc a Græcis, nunc a Romanis scriptoribus atque rebus, nunc a Plauti comœdia ductorum expolivit. At Victor nunc summatim ea significasse contentus quæ ad sermonem attinerent præcepta, nunc eadem nimia minutarum rerum consectatione ac puerilius quam decebat congerens, nulla hæc exemplorum varietate distinxit.

Qui vero ab ignoto IV seculi rhetore eadem merito exposcas, quæ in Cicerone perfecta admiraris? Nihil ergo plus a Victore exigamus, quam quod in opere tribuit, et quamvis multa ibi desiderentur, fateamur tamen nova quædam nec inutilia de sermocinatione apud eum inveniri. Quorum ea præcipue annotanda sunt, quæ jam futuræ Francorum Gallis immixtorum indolis semina sint et indicia. Velut eo loco supra citato, quo istos irrisit qui aut in spectaculis aut in conviviis doctrinam atque facundiam venditant, aut rempublicam strepunt, nonne jam illos præsentias quos tamdiu post Victorem, Gallici nostri scriptores, ac præsertim Theophrasti [1] æmulus, olim immortalibus notis designabunt? Et quum hic, sicut sæpe alias, decorum in sermone præcipit et istos vituperat Victor quos Cicero ineptos vocat, nonne in sedula illa quidquid aptum sit comprobandi assiduitate [2], unam e præcipuis Gallici, quale olim futurum est, ingenii virtutibus agnoscas? Etiam quum eos obiter notat qui plus cachinno interturbant, quam verbis explicant,

1. La Bruyère, *Caract.*, chapp. v, x.
2. Vide *supra* p. 40 et 41.

verba concidunt, syllabas obscurant, nonne itidem aliquid jam in ignoto Galliarum homine deprehendas, quod olim melius et latius et luculentius insita Gallofrancis perspicacitas, nunc in satiris, nunc in comœdiis, nunc in aliis scribendi generibus illustrabit?

Ceterum libere fateor nulla de sermocinatione plerumque, nisi nota et vulgata, et quæ fere omnibus sint in promptu, præcepta Victorem tradidisse. Sed quid aliud a rhetorices compendio exspectari poterat? Quod si reconditiora sermonis arcana inquirere velis, necesse est ad ipsorum scriptorum fontes inexhaustos confugias, qui hominum inter se versantium et colloquentium tum mores, tum sermones, nunc in fabulis, nunc in satiris, nunc in dialogis, nunc in orationibus, nunc in historiis, nunc in epistolis, nunc in moralibus præceptis, nunc in aliis libris et operibus declaraverunt.

Itaque merito Victor, in quarta capitis XXVI, quam supra distinximus, parte, admonuit multum ad sermonis gratiam valere veterum exemplorum memoriam, rerum novarum scientiam, modo illa obvia accommodentur, et proverbiorum tempestivitatem lepidam esse Græcorum atque nostrorum, et versus partesve eorum, et ex oratoribus aliisve scriptis sententias, si loco proferantur. « Multum quoque, ait[1], ad sermonis elegantiam conferent comœdiæ veteres et togatæ et tabernariæ et atellanæ fabulæ et mimofabulæ; multum etiam epistolæ veteres, in primis Tullianæ. » In promptu per summam exemplorum copiam ostendere esset, quam vera sint

1. C. J. Vict., cap. XXVI, p. 123.

hæc atque in perpetuo usu versentur. Quorum non aliam speciem proponere necesse est, quam admirabiles illos Platonis et Ciceronis sermones, qui diversissimis sermocinandi leporibus frequentati, varia apud antiquos sermocinationis genera quodammodo adumbrant et vivo etiam colorum ductu referunt. Quæ enim modo gravitati temperatæ, modo Atticæ aut Romanæ urbanitati immixta elegantia non immortales utriusque dialogos convenustat? Quamobrem quamvis inter se sæpe dissimiles sint, uterque tamen in pulcherrimis iis colloquiis aut proverbia opportune aptata, aut versus commode positos, aut doctam comœdiæ hujus imitationem quæ sermonis gratiam retinet, aut ex historia ducta decenter exempla, aut sententias pulchre cum rebus iis de quibus agitur consonantes ita affert et contexit, ut illorum sermocinatio, secundum veram Fontanii[1] nostri opinionem, cum horto conferenda sit, ubi opes Flora diffundit quæ diversa sint apum melli pabula. Nobis quidem per omnia hæc evagari liberet quæ breviter præcepit Victor de variis fontium generibus, unde plurima in sermonis gratiam defluant; ac præcipue in iis commorari possemus comœdiarum veterum formis quas Victor nominavit. Sed mecum recordari me oportet non id esse mihi propositum aliud, nisi ut hanc rhetoris nostri eclogen expenderem. Non ergo ad explicanda ea degrediar, quæ plurimum Victor ad sermocinationis elegantiam conferre prædicavit. Obiter tamen et cursim hunc sibi constare annotemus, quum et hic et alias antiquo-

1. La Fontaine, *Fabl.*, X, I, 21-23.

rum unice admirator, epistolas veteres et in primis Tullianas commendat. Sed mox plura de illa re dicemus, quum ea attigerimus quæ de epistolis a Victore scripta sunt.

Antea autem pauca iis opponenda sunt qui rhetorica ad Herennium præcepta memoria tenentes, nobis incertum eorum auctorem objicerent de sermone in tertio suo libro disputasse, ideoque a nobis immerito dictum esse Victorem primum e Latinis rhetoribus, quorum quidem libri supersunt, quasdam ex professo leges de sermocinandi ratione conscripsisse. Rhetoricorum enim ad Herennium auctor, quum de pronuntiatione dilatata quædam et etiam in minutas partes, more suo, desecta tractavit, sermonem definivit[1] orationem remissam et finitimam quotidianæ locutioni, et eum in partes quatuor (quas, ut solet, nominatas explanavit), dignitatem, demonstrationem, narrationem, jocationem distribuit. Sed, etiamsi pauca inde ad propositum Victori opus attinentia trahi possunt, legentes tamen caveant ne nihil aliud Herennii magister sibi voluerit, quum de sermone quædam professus est, nisi ut indicaret quænam quatuor illius partibus pronuntiatio et vocis moderatio et vultus gestusque inflexio adhibenda esset. Non igitur omni ex parte sermocinationem, Victoris instar, Herennii præceptor legibus quibusdam informare tentavit, neque propterea is est qui dici possit, diu ante Victorem, de sermone certam regularum formulam et compositionem præscripsisse. De aliis pariter concludemus. Sicut non negavimus passim

1. *Rhetoric. ad Herenn*, III, 13 et 14.

in Latinis auctoribus quædam de sermocinandi arte inspersa reperiri, ita merito affirmavisse nobis videmur illa non prius a rhetore ullo Latino, quem quidem noverimus, quam Julio Victore in unum caput ordinata esse aut potius congesta. Apud Fabium[1], verbi gratia, hic illic quædam offendas, quæ facile ad eamdem materiam referas. Sic sermonem ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine constare; sic Gracchorum eloquentiæ multum contulisse Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus; sic Æsopi fabellas ad purum sermonem, et antiquam comœdiam ad sinceram sermonis Attici gratiam multum conferre Quintilianus recte observavit. E quo alia etiam ad eumdem finem perducenda excerpi possent; sed non illa quæ a Fabio de sermone sparsa sunt, prohibent quominus optimo jure Victorem asseveraverimus, primum nobis Latinum esse dicendi magistrum, qui sermocinationi proprias leges ex ordine in rhetorico opere assignaverit.

---

§ 3. Quæ de epistolis Victor scripserit.

Sed hæc hactenus de manifesta re. Jam ad epistolas nobis properandum est; et sicut, priusquam de sermone juxta Victorem loqueremur, totum de hac materia caput primo perscripsimus, ita antequam de iis disputemus quæ ad epistolas a Victore dijudicatas spectent, nobis ad verbum transcriben-

1. Quintil., I, 6, 1; I, 1, 6; I, 9, 2; X, 1, 65.

dum esse ultimum rhetoris nostri caput, ante Maii editionem ignotum, videtur.

« [1] Epistolis conveniunt multa eorum quæ de sermone præcepta sunt. Epistolarum species duplex est. Sunt enim aut negotiales aut familiares. Negotiales sunt argumento negotioso et gravi. In hoc genere et sententiarum pondera, et verborum lumina, et figurarum insignia compendii opera requiruntur, atque omnia denique oratoria præcepta, una modo exceptione, ut aliquid de summis copiis detrahamus, et orationem proprius sermo explicet. Si quid historicum epistola comprehenderis, declinari oportet a plena formula historiæ, ne recedat ab epistolæ gratia. Si quid etiam eruditius scribas, sic disputa, ut ne modum epistolæ corrumpas. In familiaribus litteris primo brevitas observanda : ipsarum quoque sententiarum ne diu circumferatur, quod Cato ait, ambitio, sed ita recidantur, ut nunquam verbi aliquid deesse videatur : unum *te* scilicet, quod intelligentia suppleatur, in epistolis Tullianis ad Atticum et Axium frequentissimum est. Lucem vero epistolis præfulgere oportet, nisi cum consulto consilio clandestinæ litteræ fiant, quæ tamen ita ceteris occultæ esse debent, ut his ad quos mittuntur claræ perspicuæque sint. Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Cæsar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt. Ceterum cum abscondito nihil opus est, cavenda obscuritas magis quam in oratione aut in sermocinando : potes enim parum plane loquentem rogare, ut id planius dicat, quod in absentium epistolis non datur.

1. C. J. Vict., cap. XXVII, *de Epistolis*, p. 124-126.

Et ideo nec historia occultior addenda, nec proverbium ignotius, aut verbum cariosius, aut figura putidior; neque dum amputatæ brevitati studes, dimidiatæ sententiæ sit intelligentia requirenda, nec dilatione verborum et anxio struendi labore lux obruenda. Epistola, si superiori scribas, ne jocularis sit; si pari, ne inhumana; si inferiori, ne superba, neque docto incuriose, neque indocto diligenter; nec conjunctissimo translaticie, nec minus familiari non amice. Rem secundam prolixius gratulare, ut illius gaudium extollas : quum offendas dolentem, pauculis consolare, quod ulcus etiam cum plana manu tangitur, cruentatur. Ita in litteris cum familiaribus ludes, ut tamen cogites posse evenire, ut eas litteras legant tempore tristiore. Jurgari nunquam oportet, sed epistolæ minime. Præfationes ac subscriptiones litterarum computandæ sunt pro discrimine amicitiæ aut dignitatis, habita ratione consuetudinis. Rescribere sic oportet, ut litteræ, quibus respondes præ manu sint, ne quid cui responsio opus sit, de memoria effluat. Observabant veteres carissimis sua manu scribere, vel plurimum subscribere. Commendatitias fideliter dato, aut ne dato. Id fiet, si amicissime dabis ad amicissimum, et si probabile petes, et si impetrabile. Græce aliquid addere litteris suave est, si id neque intempestive neque crebro facies : et proverbio uti non ignoto percommodum est, et versiculo aut parte versus. Lepidum est nonnunquam quasi præsentem alloqui, uti *heus tu!* et *quid ais?* et *video te deridere* : quod genus apud M. Tullium multa sunt. Sed hæc, ut dixi, in familiaribus litteris : nam illarum aliarum severitas major est. In summa id me-

mento, et ad epistolas et ad omnem scriptionem bene loqui. » Quem et hujus capitis et totius operis finem hæc verba subsequuntur : « Explicit Ars Rhetorica C. Julii Victoris feliciter Hermagoræ, Ciceronis, Quintiliani, Aquili, Marcomanni, Taciani. »

Quemadmodum de sermone, ita de epistolis quædam ratione et via primus Latinorum rhetorum, quos quidem cognoscamus, Victor præcepisse dicendus est, quia illius ætate non in minore pretio et usu, vel apud ethnicos vel apud christianos, quam sermocinatio, varia epistolarum genera increbuerant. Quantum enim, ut supra diximus, species omnes veræ et excelsæ eloquentiæ paganorum hominum societas aut amiserat aut corruperat, tantum aut utilitatis aut jucunditatis aut necessitatis gratia epistolæ vel negotiales vel familiares (ut Victoris divisione utar), singulis diebus et inter imperatores magistratusque, et inter eruditos viros, sicuti Ausonium et Symmachum, et inter principes litteratosque homines[1], et inter quoscumque amicos adhiberi solebant. Itaque quum omnis fere jam occasio sublimitati dicendi apud paganos deesset, ac tota prope eloquentiæ magnitudo et veritas apud christianos translata esset; quum rarissimis iis temporum momentis quibus se paululum dilatare poterat ethnicorum hominum dictio, velut die quo Symmachus Victoriæ statuam in senatu servandam esse censuit, christianæ facundiæ vis et auctoritas per Ambrosium Symmachi elegantiam obrueret, nunc Romani imperii rerum gerendarum quoddam per

1. Adi inter hujusce generis epistolas, eam quam honorificentissimis verbis ad Ausonium Theodosius senior scripsit. (Inter Auson. *Epigramm.*)

longinquas provincias commercium, nunc aliæ aliis de rebus, aut voluptatis ab ingeniorum consociatione ductæ aut commoditatis causa, communitates effecerant, ut epistolas conscribendi consuetudo multum Victoris ævo frequentaretur. Unde facile intelligitur quare Victor non minore cura epistolarum, quam sermonis, propria quædam et nonnunquam etiam vulgata præcepta tradiderit. Quanquam id rhetori nostro concedendum est, scilicet eum minus obsoletas et vulgares docendi rationes novis quibusdam et vere ingeniosis animadversionibus hic immiscuisse , quam in iis quæ de sermone scripsit. Si enim paucissima excipias, qualia sunt loca quædam; vel illud consilium, quo admonet præfationes ac subscriptiones litterarum computandas esse pro discrimine amicitiæ aut dignitatis (quæ etiam dici possent optime ætatem illam Victoris et illius mores referre ævi ubi, Constantino auctore, tot dignitatum tituli in aula, in rescriptis omnibus observati sunt et primum adhibiti); vel hoc, in quo litteràs quibus respondes præ manu esse præcipit, ne quid cui responsio opus sit, de memoria effluat; pleraque ultimi sui capitis præcepta de epistolis Victor sententiarum verborumque compositionis utili et jucunda novitate distinxit.

In qua præcipua hæc, quæ sequuntur, animadvertenda esse existimavi. Recte initio asseverat Victor epistolis multa eorum convenire quæ de sermone præcepta sunt. Non quod omnia utrique generi communia fieri posse arbitretur, qui paulò infra merito dixerit cur cavenda sit magis obscuritas in epistolis, quam in sermocinando. Quamobrem, si penitus materiam inspexeris, non tibi de

illa Victoris judicium, a Demetrii hujus Phalerei (qui fortasse alius fuit Demetrius) insigni opinione discrepare dicetur, quam supra memoravimus[1], et in qua eum vidimus epistolæ et sermonis diversas rationes distinxisse. Non igitur Victor a Demetrio dissentit scribente[2] « sermonis crebras solutiones non epistolis congruere, nempe quod obscura sit in scriptione dissolutio. » Sed ut Demetrius vinculis quibusdam duo illa animi sensus enuntiandi genera consociari censet, quum suadet[3] ut « plurimum habeat epistola moratum, quemadmodum et dialogus : ferme enim quisque imaginem animi sui scribit epistolam ; » ita Victor Græco rhetori quum alias assentiri videtur, tum præcipue quum dicit[4] : « Epistola, si superiori scribas, ne jocularis sit ; si pari, ne inhumana, etc. » His enim verbis satis declarat, quam sibi vivida morum imago epistola videatur. Nec solum Demetrium, sed ipsius humani judicii communem quodammodo sequitur sensum, et omnium dicendi magistrorum, qui forte eamdem opinionem leviter perstrinxerunt, sibi accommodat auctoritatem Victor, quum sermocinationem et epistolas certa præceptorum affinitate conjungi affirmat. Quapropter utrumque id dicendi et scribendi genus simul nominat Quintilianus, quum orationem vinctam atque contextam aliam esse profitetur, solutam aliam, « qualis in sermone et epistolis, nisi quum aliquid supra naturam suam

1. Vide p. 65.
2. Demetr. Ed. Junt. p. 199.
3. Demetr. p. 200.
4. C. J. Vict., cap. XXVII, p. 125.
5. Quintil. IX, 3, 19 et 20.

tractant, ut de philosophia, de republica, similibusque. Quod non eo dico, ait, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam, et forsitan difficiliores etiam pedes; neque enim aut hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo atque epistola; sed non fluunt, nec cohærent, nec verba verbis trahunt; ut potius laxiora in his vincula, quam nulla sint. » Qui Quintiliani locus optime cum Victoris loco[1] conferri potest, ubi de epistolæ dictione hic professus est; idem plane demonstrat non minorem Quintiliano, quam Victori vicinitatem inesse sermocinationi et epistolis videri.

Victor[2] deinceps epistolarum speciem duplicem esse statuit. « Sunt enim, inquit, aut negotiales aut familiares. » Ac deinde ita utramque præceptis instruit, ut in genere negotioso et gravi, etiamsi oratoria insignia concedat, hanc tamen exceptionem afferat, ut aliquid de summis copiis detrahamus, et orationem proprius sermo explicet. Declinare quoque vult epistolam a plena formula historiæ, si quid historicum ea comprehendat, ne recedat a nativa gratia, et id, in quo omnia sunt, commendat, « ne modum epistolæ corrumpas. » Hæc fere Victor de negotioso epistolarum genere. Quibus non longe absimilia sunt, quæ sic ad C. Curionem Cicero scripsit[3]: « Epistolarum genera multa esse non ignoras: sed unum illud certissimum, cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores

1. C. J. Victor, cap. XXVII, p. 124.
2. *Ibid.*
3. Cic. *Epistol. ad divers.*, II, IV.

faceremus absentes, si quid esset quod eos scire, aut nostra aut ipsorum interesset.... Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant; unum familiare et jocosum, alterum severum et grave. » Et paulo post nihil esse quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem, nisi de republica, dicit. In alia autem ad Papirium Pætum missa epistola in qua, ut solet cum eo, jocatur : « Quid tibi ego, inquit [1], in epistolis videor ? Nonne plebeio sermone agere tecum ? Nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut judicio, aut concioni ? Quin ipsa judicia non solemus omnia tractare uno modo ; privatas causas, et eas tenues, agimus subtilius : capitis aut famæ scilicet ornatius ; epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. » Quod si omnia hæc Quintiliani et Ciceronis loca cum supra citato Victoris loco conferemus, quamvis in iis diversa quædam occurrant, pleraque tamen sibi invicem consonantia reperiemus. Perinde atque Tullius et Quintilianus, ita Victor epistolarum genera duo, grave alterum et negotiosum, alterum autem familiare multisque modis variandum discernit. Non tamen, sicuti uterque, satis liquide declarat, in quas rerum species et formas negotiale epistolarum genus describendum esse censeat. In hoc genere tantummodo innuit et sententiarum pondera et verborum lumina et figurarum omnia insignia esse requirenda, et in eodem aut historicum aliquid comprehendi aut etiam eruditius quiddam disputari posse. Quod si ita est, Ciceronis et Quintiliani sententiam secutus

1. Cic. *Epist. ad divers.*, IX, xxi.

erit Victor, et in negotialibus epistolis aut omnino universa negotia, aut peculiariter quæ ad rempublicam etiamque ad philosophiam pertinent, collocaverit. Cujus generis multiplices illæ erunt epistolarum formæ quæ apud Ciceronem de tot tantisque rebus scriptæ leguntur, ac præsertim graves illæ et longæ epistolæ, ubi modo ad Brutum scribens, modo ad Varronem, modo ad Quintum fratrem, modo ad complures alios, aut de republica, aut de suis operibus et studiis, aut de optima ratione provinciam administrandi, aut de diversissimis ac prope infinitis rebus, nunquam epistolæ naturam corrumpendo, disputavit. Quanquam Tullianas quasdam hujus generis epistolas longiores esse scio, quam vulgaris litterarum familiarium usus desiderat. Sed ita Cicero in iis rerum gravitati et ponderi leporem proprium et nativam sermonis venustatem, ita sententiarum verborumque splendorem, quo aliquot ipsius præfulgent epistolæ, nescio qua urbanitate temperat, ut illam sane vituperationem devitet, qua in longas epistolas utitur Demetrius. « Valde, ait[1], longæ, et præterea oratione tumidiores, non per veritatem epistolæ..., quemadmodum Platonis multa et epistola Thucydidis. » Aliquot quidem Ciceronis epistolæ, velut multæ eorum quæ Platonis, Demosthenis, Æschinis et aliorum nominibus inscribuntur, non eo spatio contrahuntur cujus tantum angustias Demetrius permittit; sed quamvis, velut illa ad L. Lucceium missa quam bellam Cicero appellat, et ut noster commendat Victor, sint omni verborum ornatu sententiarumque expolitæ, nus-

1. Demetr., p. 201.

quam tamen tumidioris orationis, quod merito Demetrius reprehendit, vitium in gravissimis Tullii epistolis notari potest. Quod tantum ab illo abest, ut eum modo audierimus dicentem, se plebeio sermone et quotidianis verbis contexto in epistolis agere. Quo fit ut prorsus hæc Demetrio de illarum dictione scribenti assentiatur[1] : « Et structura quidem verborum dissolutior potius sit : ridiculum enim in orbem includere sententias, tanquam non epistolam, sed causam scribas, et non solum ridiculum, sed neque amicitiæ aptum : quod enim proverbio fertur, ficum, ficum dicere, idem in epistolis oportet custodire. » Hactenus cum Demetrio et Cicero et Quintilianus et Victor consentiunt, itemque in hisce quæ apud Græcum rhetorem sequuntur : « Scire autem oportet[2], non solum elocutionem, verum etiam res quasdam esse accommodatas epistolis. Aristoteles sane, qui præter ceteros videtur consecutus formam epistolarem : « hoc autem non scribo ad te, inquit ; non enim epistolæ accommodatum est. » Quæ deinceps usque ad finem a Demetrio de epistolis præcepta sunt, ex ordine protinus exsequar, ut inde appareat quomodo et quatenus tres supra nominati Latini rhetores, soli qui quædam nobis de epistolari forma scripta reliquerunt, a rhetore Græco qui cum Artemone solus, ante Ciceronem fortasse, certas ex professo animadversiones de materia eadem collegit, aut recesserint, aut ad ejusdem sententias accesserint. « Si enim, ait[3], aliquis in epistola sophismata scri-

1. Demetr., p. 202.
2. Demetr., p. 203.
3. Demetr., p. 203-206.

bit et naturæ rationes, scribit quidem, non tamen epistolam scribit : expressio enim quædam amoris debet esse epistola, concisa, et de simplici re expositio, et in nominibus simplicibus. Pulchritudo sane ipsius erunt inter amicos aptæ blanditiæ, et crebra proverbia illic inclusa, quia populare quiddam est proverbium et commune : qui autem sententias edit, et suadet aliquid, non ei similis est, qui per epistolam loquatur, sed per machinam. Aristoteles sane et demonstrationibus quibusdam locis utitur epistolarum propriis. Ceu docere volens, quod eodem pacto decet beneficia conferre in magnas civitates et in parvas, inquit : « Dii enim in utrisque æquales. Quapropter quia Gratiæ deæ, æquales constituentur a te apud utrasque. » Etenim ipsum quod demonstratur epistolæ accommodatum est, et demonstratio hæc ipsa. Quia autem et civitatibus aliquando et regibus scribimus[1], sint sane hæ epistolæ paulo elatiores aliquo modo : attendere namque oportet et personam cui scribitur. Elatior sane fuerit, non tamen ut volumen sit pro epistola, quemadmodum illa Aristotelis ad Alexandrum,

1. Itaque Antipater sophistes, homo ab epistolis Severi imperatoris, a Philostrato (*Soph. vit.*, lib. II, cap. XXIV) laudatur quod in iis clarum quiddam insonuerit, et dignam principe personam gesserit. « Σαφήνειάν τε γὰρ τὰ λεγόμενα εἶχε καὶ γνωμῆς μέγεθος καὶ τὴν ἑρμήνειαν ἐκ τῶν παρόντων καὶ ξὺν ἡδονῇ τὸ ἀξύνδετον· ὃ δὴ μάλιστα ἐπιστολὴν λαμπρύνει. » Contra autem Aspasius sophistes a Philostrato (*ibid.* II, XXXIII, 3) reprehenditur quod « Παρελθὼν ἐς τὰς βασιλείους ἐπιστολὰς, τὰς μὲν ἀγωνιστικώτερον τοῦ δέοντος ἐπέστελλε, τὰς δ'οὐ σαφῶς, ὧν οὐδ' ἕτερον βασιλεῖ πρέπον· αὐτοκράτωρ γὰρ δὴ ὁπότ' ἐπιστέλλοι, οὐ δεῖ ἐνθυμημάτων, οὐδ' ἐπιχειρημάτων, ἀλλὰ δόξης, οὐδ' ἀσαφείας, ἐπειδὴ νόμους φθέγγεται, σαφήνεια δ' ἑρμηνεὺς νόμου. »

et ad Dionis propinquos epistola Platonis. In universum autem misceatur epistola, quod ad locutionem facit, ex duabus his formis, venusta, inquam et tenui. » Quem quidem Demetrii de epistolarum dictione et propriis rebus locum operæ pretium esset multas in partes tractatum explanare; sed id non ad rem nobis nunc propositam. De hoc tamen mentionem obiter feci, et quia, quum rarissima sint veterum de epistolis testimonia[1], non operam a me perditum iri credidi, si in unum spatium conferrem quæcumque aut Græca aut Romana antiquitas de illo scribendi genere disciplinis quibusdam edocta transmisit; et quia planius ex ea collatione perspici potest et dijudicari quid Victor de epistolari forma, præceptis primum ab ipso Latine rhetoricis ex professo explicata, senserit. Quid autem ex omnibus Demetrii, Ciceronis, Quintiliani, aut congregatis aut dispersis, de epistolarum natura judiciis

1. Mihi in promptu esset varia recentiorum scriptorum, Politiani, Erasmi, Justi Lipsii de antiquorum epistolis testimonia ac judicia afferre, quæ ideo prætermittam, quod omni fere ex parte, cum iis quæ memoravimus, consentiant. At nequeo mihi temperare quominus ceteris veterum scriptorum, quæ ad epistolas spectant, indiciis, ea conjungam, quæ de materia eadem scripsit Philostratus, seu quoniam optime cum iis quæ retuli quadrant; seu quoniam ostendunt quantopere, sub Romanis imperatoribus, epistolarum conscribendarum ars a sophistis ac rhetoribus Græcis, non minus quam Latinis, accurata sit. Hæc autem sunt Philostrati verba : « Τὸν ἐπιστολικὸν χαρακτῆρα τοῦ λόγου μετὰ τοὺς παλαιοὺς ἄριστά μοι δοκοῦσι διεσκέφθαι φιλοσόφων μὲν ὁ Τυανεὺς καὶ Δίων, στρατηγῶν δὲ Βροῦτος ἢ ὅτῳ Βροῦτος ἐς τὸ ἐπιστέλλειν ἐχρῆτο, βασιλέων δ'ὁ θεσπέσιος Μάρκος, ἐν οἷς ἐπέστελλεν αὐτός· πρὸς γὰρ τῷ κεκριμένῳ τοῦ λόγου καὶ τὸ ἑδραῖον τοῦ ἤθους ἐντετύπωτο τοῖς γράμμασι· ῥητόρων δ' ἄριστα μὲν Ἡρώδης ὁ Ἀθηναῖος ἐπέστελλεν, ὑπεραττικίζων δὲ καὶ ὑπερλα-

concludi potest, si cum Victoris nostri doctrina componantur? Id scilicet, nempe quod Victor hic, sicut alias, totum, ut ita dicam, Tulliani Fabianique judicii saporem redolens, cum iis omnino conveniat, duo præcipua epistolarum genera discernentibus; et, quamvis in plerisque partibus eamdem, sicut Cicero et Quintilianus, sententiam quam Demetrius, amplectatur de epistolarum modo et simplicitate et convenientia, non illum tamen Græcum rhetorem, quisquis sit, magis cognovisse et frequentasse, quam Latini ceteri dicendi magistri, videatur. In hoc autem, perinde ac Cicero et Fabius, a Demetrio Victor dissentit, quod Græcus homo non fere epistolam agnoscat, nisi quæ brevis et popularis, et quotidiani usus affectusque et dictionis sit, Victor autem, optimos in eo auctores secutus, nullum ab epistolari forma litterarum genus excludat, sed modo, ut communis eruditorum virorum

λῶν ἐκπίπτει πολλαχοῦ τοῦ πρέποντος ἐπιστολῇ χαρακτῆρος. Δεῖ γὰρ φαίνεσθαι τῶν ἐπιστολῶν τὴν ἰδέαν ἀττικωτέραν μὲν ξυνηθείας, ξυνηθεστέραν δ' ἀττικίσεως καὶ ξυγκεῖσθαι μὲν πολιτικῶς, τοῦ δ' ἁβροῦ μὴ ἀπᾴδειν. Ἐχέτω δὲ τὸ εὔσχημον ἐν τῷ μὴ ἐσχηματίσθαι· εἰ γὰρ σχηματιοῦμεν, φιλοτιμεῖσθαι δόξομεν, φιλοτιμία δ' ἐν ἐπιστολῇ μειρακιῶδες. Κύκλον δ' ἀποτορνεύειν ἐν μὲν ταῖς βραχυτέραις τῶν ἐπιστολῶν ξυγχωρῶ, ἵνα τούτῳ γοῦν ἡ βραχυλογία ὡραΐζοιτο ἐς ἄλλην ἠχὼ πᾶσα στένη οὖσα, τῶν δ' ἐς μῆκος προηγμένων ἐπιστολῶν ἐξαιρεῖν χρὴ κύκλους· ἀγωνιστικώτερον γὰρ ἢ κατ' ἐπιστολὴν τοῦτο, πλὴν εἰ μή που ἐπὶ τελευτῆς τῶν ἐπεσταλμένων ἢ ξυλλαβεῖν δέοι τὰ προειρημένα ἢ ξυγκλεῖσαι τὸ ἐπὶ πᾶσι νόημα. Σαφήνεια δ' ἀγαθὴ μὲν ἡγεμὼν ἅπαντος λόγου, μάλιστα δ' ἐπιστολῆς· καὶ γὰρ διδόντες καὶ δεόμενοι καὶ ξυγχωροῦντες καὶ μὴ καὶ καθαπτόμενοι καὶ ἀπολογούμενοι καὶ ἐρῶντες ῥᾷον πείσομεν, ἢν σαφῶς ἑρμηνεύσωμεν· σαφῶς δ' ἑρμηνεύσομεν, καὶ ἔξω εὐτελείας, ἢν τῶν νοηθέντων τὰ μὲν κοινὰ καινῶς φράσωμεν, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς. (Φιλοστράτου ἐπιστολαί, I, p. 337. Éd. Didot, 1849.)

auctoritas fert, eas quæ longiores sint, et quidam de diversis rebus tractatus, ab illis quas familiares dicit, sedulo distinguat. Itaque duplici epistolarum specie, quam ab initio capitis proposuit, omnia quæ concipi possint et effici litterarum genera comprehendit; et idcirco, ut nobis quidem videtur, latiore quodam verioris doctrinæ ambitu, quam Demetrius, Cicerone et Quintiliano ducibus, cuncta, per divisionem suam, quæ ad epistolas spectant, complexus est Victor. Qui eo rectius ita præcepta ad varios epistolarum usus accommodavit, et tam longas quam breves recepit, modo ne in iis epistolaris quædam forma corrumperetur, quod nemo dissentiet quin epistolarum aut longum aut breve spatium esse debeat, prout res de quibus agitur paucis aut multis exponendæ sunt. Itaque salsissime Gregorius Nazianzenus[1], qui non magis quam Cicero et Quintilianus et Victor de Demetrio loquitur, quum quædam de epistolis ad Nicobulum amicum mittit, modo Persico schœno, modo puerorum cubitis dimetiendam esse litterarum vel brevitatem, vel magnitudinem dicit, prout vel pauca, vel multa, vel parva, vel magna sunt, de quibus agitur et disputatur, negotia. Quod ipse Demetrius aliquatenus agnovit, qui nonnunquam elatiores epistolas fieri concedit; sed in eo nimia præcipientis rigiditate peccat, quod nimia sedulitate cavit, ne ad voluminis formam epistola unquam accederet. Quamobrem melius, quam Demetrius, in suam de epistolis doctrinæ descriptionem Victor cuncta dicendi genera reduxit, aut civile, aut historicum, aut eruditius, velut in philosophia, aliquid compre-

1. Greg. Naz. *Epist.* LI (ed. Paris 1840), alias CCIX.

hendentia, modo epistolaris gratia et modus in singulis inesset.

Attamen non Victorem diffitendum est præsertim in familiaribus iis litteris explicandis inhæsisse, quas unice epistolarum nomine esse dignas credidisse Demetrius videtur, et quas fatemur in communi vita et consuetudine frequentius, quam ceteras, usurpari. Quapropter familiarium litterarum et brevitatem et perspicuitatem et varietatem, et suavitatem ac lepores fusius, quam negotiosarum officia, docuit. Non singula minutatim repetere nobis in animo est, quæ de quatuor hisce præcipuis familiarium epistolarum virtutibus transcripta e Victoris opere ad verbum expressimus; sed pauca quædam hic illic, in itinere conficiendo, solum animadvertere volumus. Ac primum egregiam illam Censorii Catonis vocem [1] admiremur, qua præcipit ne sententiarum diu circumferatur ambitio. Hæc viri illius verba, quem alias jam, ut vidimus, libenter nominat Victor [2], ex eo libro de Oratore, ut verisimile est, ducta sunt, in quo Cato oratorem virum bonum dicendi peritum esse definiverat. Deinde mentionem de illo Victoris loco [3] faciamus, in quo Cæsarem et Augustum et Ciceronem et alios plerosque scribit, notas inter se secretiores epistolis pacisci esse solitos. Cui rhetoris nostri testimonio, inter alias auctoritates, Auli hæc verba Gellii favent [4]: « Libri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium et Balbum

1. Apud C. J. Vict., cap. XXVII, p. 124.
2. Vide p. 43 et C. J. Vict., cap. II, p. 5.
3. C. J. Vict., cap. XXVII, p. 124.
4. A. Gell. *Noct. Att.* XVII, 9.

Cornelium, qui res ejus absentis curabant. In his epistolis quibusdam in locis inveniuntur litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite; nam verba ex his litteris confici nulla possunt. Erat autem conventum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum; ut in scripto quidem alia aliæ locum et nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus et potestas restitueretur; quænam vero littera pro qua subderetur, ante iis, sicuti dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adeo Probi grammatici commentarius satis curiose factus De occulta litterarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum. » Tertiam annotationem eam obiter collocabimus, qua sagacitatem rhetoris nostri comprobemus, paucis explicantis [1], quare et quomodo in epistola cavenda magis obscuritas sit, quam in oratione aut in sermocinando. Quartam vero animadversionem de variandis epistolarum modis [2] secundum varia personarum genera, ad quas mittentur, in eo ponemus ut merito asseveremus Ciceronis epistolas omni ex parte iis respondere quæ hic expostulat Victor. Nulla enim non rerum dicendique formarum diversitas in illis enitet. Quocirca tum in negotiosis, tum in familiaribus litteris omni, ut ita dicam, sententiarum verborumque flexibilitate et facilitate et mobilitate et copia et infinita quadam varietate adeo Cicero excellit, ut eum unicum vere præceptorum suorum de epistolis exemplum Victor proposuisse videatur. Seu gratulatorias, seu consola-

1. C. J. Vict., cap. XXVII, p. 124-125.
2. *Ibid.*, cap. XXVII, p. 125.

torias, seu jocosas et familiares, seu mœstitia quadam dolentis animi penitus impressas, seu leviter decenterque objurgatorias, seu carissimis amicis vel sua manu vel plurimum subscriptas, seu commendatitias incredibili modo variatas, seu græce quibusdam scriptis et proverbiis tempestivis et versiculis inspersas, seu vocabulis illis convenustatas, quibus quasi præsentem alloquitur amicum, epistolas Cicero scribat, ubique perfectam illam epistolaris formæ gratiam assequitur, quam sibi pulcherrimam generis illius scribendi speciem ante oculos Victor habuit. Quinta denique nostra observatio in duabus iis sententiis[1] paulum immorabitur, quæ non minus rhetoris nostri animo et pectori, quam ingenio et judicio honoris afferant; sive illas ultro excogitaverit, sive ab alio auctore translatas in suum opus traduxerit et sibi velut propriam quamdam possessionem assumpserit. Quarum priore dicit : « Quum offendas dolentem, pauculis consolare, quod ulcus etiam cum plana manu tangitur, cruentatur; » posteriore autem : « Ita in litteris cum familiaribus ludes, ut tamen cogites posse evenire, ut eas litteras legant tempore tristiore. » Ea sunt sententiarum lumina quibus nonnunquam, rarius tamen, quam decebat, Victoris ecloge illustrata distinguitur. Victor, ut ex earum priore apparet, procul abest ab inani isto verborum fastu quo Stoici, quo Seneca [2], quo Sulpicius [3] Ciceronem amicum de morte Tulliæ consolari tentans, quo veterum

1. C. J. Vict., cap. xxvii, p. 125.

2. Senec., *ad Helviam*, *ad Polybium*, *ad Marciam consolationes*. — Epist. lxiii. xcix.

3. Sulpic. apud Cic. *Epist. ad divers.* IV, v.

hominum multi, in consolationum apparatu nimio, laboraverant. Sin autem posteriorem sententiam omni mente et animo introspexeris, in provida illa de futuris fortasse tristibus amicorum temporibus diligentia, quum jocosas nostras epistolas relegent, nonne scintillam quamdam et nescio quem igniculum christianæ illius caritatis dignoscas, quæ in ethnicos homines, etiam invitos et inscios, interdum diffundebatur? Sed hanc docti pro arbitrio suo interpretentur; nobis vero satis sit id obiter conjecturæ attulisse, quæ forsitan eo facilius destrui potest, quod ipsum hunc Victoris sensum in aliquo e vetustis scriptoribus, qui quædam de amicitia tradiderunt, eruditus antiquarum rerum disquisitor inveniret. Antequam ab iis quinque de ratione, qua familiares epistolas Victor, scribendas esse duxit annotationibus alio degrediar, sextam de hisce rhetoris nostri verbis[1] adjicere liceat: « Græce aliquid addere litteris suave est, si id neque intempestive neque crebro facias. » Nonne hæc argumentationem nostram supra conclusam refellere videntur, qua diximus Græci sermonis usum multo minus Victoris ætate apud Latinos scriptores, quam Ciceronis et Quintiliani ævo, esse celebratum? Hæc ego haudquaquam contraria esse iis, quæ prius a me disputata sunt [2], arbitror. Nusquam enim affirmavi, neque Græcæ linguæ, neque Græcorum auctorum consuetudinem penitus esse de medio sublatam, apud IV sæculi Latinos homines et scriptores. Quod adeo a vero remotum esset, ut

1. C. J. Vict., cap. XXVII, p. 125.
2. Vide p. 47-50.

contra copiosissima testimoniorum ubertate comprobaretur, apud plurimos hujus sæculi auctores, qui latine scripserunt, quamdam Græci sermonis notitiam et frequentationem agnosci. Itaque apud Ausonium, apud Symmachum (licet rarius apud hunc), et alios ea ætate Romanæ linguæ et elegantiæ vindices, Græcarum litterarum cognitionis quædam vestigia reperias; adeo ut, in ipso litterarum commercio, docti illius ætatis homines græce aliquid aut vincta aut soluta oratione dictum libenter inserant et non semel usurpent. Attamen manifestum est quod diximus, nempe multo minus, quam antea, largos esse et fecundos et exundantes, verisimili Victoris ætate, haustus illos, qui, e Græcis fontibus ducti, pleno ore manaverunt et in uberrimos rivos effluxerunt, Quintiliani et imprimis Tullii temporibus. Ac præterea minime id, diligenter Victoris librum inquirenti, negandum est, scilicet, quamvis Ciceronis exemplo ductus, in epistolis græce aliquid additum suave esse dicat, et aliis compendii sui locis Græcorum scriptorum exempla et nomina memoret Victor, nihilominus totum prope hujus opus ex Latinorum dicendi magistrorum ratione et via et scribendi genere proficisci. Quod adeo verum esse libere dixerim, ut etiam, quum Hermagoream disciplinam de causarum constitutionibus mutuatur, hanc tamen Latinis plerumque exemplis, rarissime autem Græcis, illustret. Sed hæc hactenus.

Nunc, postquam singula, prout licuit, expendi quæ ad præcipiendi rationem pertinerent, qua Victor tum negotiales, tum familiares epistolas componendas esse censuit, mecum me reputare conce-

datur et paucis quærere, cur Ciceronem, ut antea diximus, unicum scribendæ epistolæ exemplar Victor esse statuerit. Cui quæstioni primum hic, sicut alias nec jam semel a nobis factum est [1], respondeatur sibi constare Victorem, tantum antiquorum admiratorem, ut nusquam ab eo recentior Quintiliano scriptor nominatus sit. Bene habet, dices; at ipsius Ciceronis ætate, nonne multi, et iidem excellentissimi, omni gratia et nativo lepore et temperata gravitate conspicuas epistolas scribendi auctores, C. Cæsar, M. Cato Uticensis, Pompeius, M. Cælius, Cn. Matius, Junius et Decimus Bruti, compluresque alii, quorum quædam supersunt inter Ciceronis epistolas, exstiterunt? Nonne de horum omnium, qui intra idem veluti ætatis spatium inclusi sunt, epistolari ratione et forma eadem dici possunt, quæ merito Tullius de oratoribus cunctis Demosthenis æqualibus affirmavit [2], in quibus, quæcumque essent in singulorum virtutibus diversitates, succus et sanguis incorruptus, et naturalis, nec fucatus nitor inesset? Simplex quiddam et pressum et enucleatum et urbanum communiter in epistolis omnibus elucet, quas Ciceronis æquales scripserunt. Has et alias fortasse, quales quæ Augusti, quæ Asinii Pollionis, quæ ceterorum incorruptæ et puræ latinitatis auctorum nominibus ferebantur, Victor una cum Tullii litteris memorare potuisset. Sed quoniam non hic magis, quam alias obliviscitur se rhetorici operis tantummodo compendium, ad usum studiosi cujusdam juvenis, inchoare, neque ideo

1. Vide p. 41-43.
2. Cic. *Brutus*, cap. IX, § 36.

scriptorum præceptis exemplisque nimium implicatis discipuli sui memoriam onerari vult, Ciceronem, unicam epistolaris artis quodammodo effigiem, utpote inter omnes, quod reipsa est, ex omni parte, quantum humana natura patitur, perfectam et absolutam, proponit.

Adeo plenam de omni epistolarum forma Cicero materiam suppeditavit, ut Victori non necesse visum sit de aliis mentionem facere. Quamobrem, ut supra diximus[1], non Senecæ ac Plinii Junioris magis, quam Frontonis et aliorum ætati suæ propiorum, epistolas Victor commemoravit. Nullæ enim omni ex parte diversissimis scribendæ epistolæ ansis quibusdam et utilitatibus satisfaciebant. Namque, ut hic Senecam solummodo ac Plinium allegare sufficiat, quid commune cum illa epistolaris formæ apud Ciceronem et plenitudine et varietate et naturali fecunditate præ se ferebant, aut morales illæ Senecæ disputationes quæ epistolarum solo prope nomine designari debent, aut Pliniana illa litterarum elegantia, in quibus nihil non fere compositum est et apparatum, et eruditarum aurium voluptatis causa, verborum veluti cincinnis et calamistris depictum? Quod ipse Plinius, in memoratu digno unius epistolarum suarum loco agnoscere cogitur, quum Sabino amico longas et crebras epistolas flagitanti, excusat se, quod materia deficiat. « Neque enim, inquit[2], eadem nostra conditio, quæ M. Tullii, ad cujus exemplum nos vocas. Illi enim et copiosissimum ingenium, et ingenio

1. Vide pag. 41.
2. Plin. Jun. *Epist.* IX, II.

qua varietas rerum, qua magnitudo, largissime suppetebat. Nos quam angustis terminis claudamur, etiam tacente me, perspicis : nisi forte volumus scholasticas tibi atque (ut ita dicam) umbraticas litteras mittere. » Non quod nonnunquam in Plinii epistolis[1] quædam non occurrant (sicut epistolæ in quibus narrat quomodo aut ipse aut Tacitus amicus causas quasdam, quantum tempora sinebant, celebres egerint, aut quid in villis rusticanis otii capiat, aut quanto studio litteratorum circulos et vanas recitationes amplectatur), quæ consularis hominis, ea ætate, vitam et conditionem et dignitatem, si cum veteribus conferas, singulariter imminutam, verissime depingant. Sed quid omnia hæc, si cogites de Ciceronis ingenio proposita libera et naturali et ampla, et omnibus modis variata, et prope infinita, in epistolis scribendi tot tantasque res facultate? Abunde igitur quum plurimis de causis, tum præcipue propter omnia ea quæ nunc indicamus, rationes suppetunt, cur Ciceronem in epistolis conscribendis unicum exemplar Victor habuerit, suoque alumno (quisquis fuit ille) proposuerit. Si rem enim diligenter ac penitus excusseris, propterea Victorem intelliges nulli epistolarum collectioni, post Ciceronis epistolas et tempora, commemorandæ incubuisse, quod prope omnes, ut Plinii Junioris verba referam, nihil persæpe, præter publicas principum et magistratuum litteras, fuerunt nisi scholasticæ atque umbraticæ quodammodo de levissimis rebus aut a communi usu remotis, vel tractatiunculæ convenustandæ elocutionis gratia

1. C. Plin. *Epist.* passim.

comparatæ, vel disputationes. Victoris ethnici hominis ævo, a paganorum societate et litteris ad christianos recedendum est ei, qui iterum expressam reperire velit et dissociabili quodam vinculo conjunctam summarum sententiarum rerumque gravitatem cum intima illa e pectore libere exundantium affectuum in amica pectora effusione. Hanc, si velis, apud Augustinum, apud Hieronymum, apud Basilium ac Gregorium Nazianzenum, apud ceteros christianæ caritatis interpretes adeas; sed apud paganos eamdem in dicendo rerum amplitudinem ac liberam sententiarum sinceramque declarationem, omni verborum apparatu spreto sponte quadam sua se dilatantem, non jam Victoris ætate reperies. Non quod apud christianos IV sæculi epistolarum scriptores, non plurima indicia rhetorices cujusdam offendantur, nimios sententiarum verborumque ornatus nimiamque subtilitatem affectantis. Difficile enim dictu est, quantum et quatenus depravatæ paganorum rhetorum disciplinæ et artes, apud ipsa christianorum hominum ingenia, IV et V etiam sæculo, in Sidonii Apollinaris, in Ennodii, in divi Remigii ceterorumque plurimorum conficiendis operibus valuerint.

---

§ 4. Generales tres conclusiones, in quarum tertia ita Victor cum Gallicis IV ævi rhetoribus confertur, ut melius inde dignosci possit.

Sed ut denuo ad Victorem nostrum, nobis quidem nova de sermocinatione ac de epistolis pro-

fessum transeamus, pauca iis adjicere liceat, quæ singula singulis ignoti rhetoris de utraque re præceptis subjecimus. Quod si minutis iis, quas vicissim ad duo ultima Victoris Rhetorices capita contulimus, disputationibus, generales quasdam conclusionum formas addemus, hæc imprimis colligenda et in lumine quodammodo colloeanda esse nobis videntur, quæ quum ex omni Victoris de rhetoricis artibus breviario, tum ex ultimis hisce ejusdem opusculi capitibus facile derivata duci possunt. Hæc igitur ad tres illas præcipuas argumentorum rationes omnia esse revocanda arbitror. Primo scilicet loco, C. Julius Victor Tullianæ eloquentiæ assiduus est et diligentissimus in omni scribendi et dicendi genere fautor. Secundo autem, inde fit ut religiosus antiquæ facundiæ et scriptionis admirator, plerumque in mutationes illas sentiendi et eloquendi invehatur, quas nova post Ciceronem temporum studia attulerant, inanes nempe declamatiunculas, et plus æquo densas sententias, et omnem in panegyricis licentiam, et ceteros in eloquii acumine ac nitore judicii errores, quos inconsultæ audientium acclamationes atque nimia iis placendi recitantium cupido invexerant. Tertio denique, libenter Victorem suspiceris, sive illius virtutes, sive vitia contuleris, Gallicorum rhetorum ingeniis communem quemdam saporem et gustum redolere; ac præterea illa ipsa præceptoris severitate, qua quædam vituperat, non minus quam illa assiduitate, qua diversa quædam iterum iterumque collaudat, non modo Gallicum rhetorem, sed etiam IV sæculi hominem videri.

Nunc primam generalium harumce totius Victoris

libri, ac præcipue duorum ultimorum capitum conclusionem repetamus et aliquot exemplis illustratam instruamus, ut deinceps ad secundam et tertiam ex ordine perveniamus. Macrobio teste[1], cujus verba Maius[2], quum de Symmacho oratore præfaretur, retulit, « Quatuor sunt genera dicendi : copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius secundus, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur. » Quibus e quatuor dicendi generibus, si Sallustianum excerpas, utpote quod Sallustius rerum gestarum scriptor, non revera autem orator exstiterit, tria supererunt dicendi genera, quæ non minus apud Gallos, quam Romanos ipsos, tum diutissime ante Victoris probabile ævum, tum ipso hujusce rhetoris ævo floruisse compertum est. Ne enim M. Tullium loquar, cujus perfectæ eloquentiæ in omni litterarum genere specimen adeo constanter Gallorum nostrorum animis obversatum est, ut V etiam sæculi temporibus Sidonius Apollinaris[3] « Q. Symmachi, ut ait, rotunditatem, Caii Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis præsumptuosis insecuturus, » exclamaret : « nam de M. Tullio silere in stylo epistolari melius puto; » adeo se absolutum eloquentissimi omnium viri exemplar imitari se posse desperabat; Frontonem et C. Plinium et hujus assiduum imitatorem Symmachum, nemo non litteris imbutus non dubitet plurimum auctoritatis apud

1. Macrob. *Saturn.*, V, 1.
2. Adi Maium *de Symmacho oratore et de Symmachi stylo*, p. LVIIII,
3. Sidon. Apollin. *Epist.*, I, 1.

Gallicos oratores et scriptores habuisse. Namque, ut singulos, tres hosce viros, temporum ordinem secutus, commemorem, Plinius [1] Junior in una ex epistolis lætari videtur, quod opera sua jam in Galliis celebrata vulgo Lugdunensium manibus terantur. Qui tanta deinceps fama, apud posteros Plinianæ elegantiæ ac venustatis facilius, quam Tullianæ copiæ et varietatis æmulatores, effloruit, ut non modo Symmachus, sed etiam, ut paulo supra diximus, Apollinaris noster assiduis Secundum vestigiis insequi tentaverit, atque etiam Plinii ad familiares epistolarum libros numero adæquare voluerit; sicut antea Q. Symmachus fecerat, qui præterea, Plinii instar, decimum ad principes litterarum librum subjecerat. Fronto autem tantam sibi eloquentiæ laudem apud Latinos Gallosque pepererat, ut Eumenius Augustodunensis ille rhetor, panegyricum Constantio Cæsari dictum recitans, non hæc de illo dicere dubitaverit [2] : « Fronto, Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus. » Quin etiam Frontoniana, ut aiunt Hieronymus [3] Sidoniusque [4] noster, gravitas, tantam sui memoriam admirationemque in Galliis reliquerat, ut Sidonio eodem auctore, quemadmodum poetæ alii Virgiliani, alii Ovidiani, sic ætatis suæ oratores bene multi Frontoniani dici vellent. Quod si inde ad Symmachum illum degrediar, qui ut ait Maius [5], styli sui laudato-

1. Plin. Jun. *Epist.*, IX, xi.
2. Eumen. *Panegyr, Constantio Cæsari*, cap. xiv, p. 176. Ed. De La Baune.
3. D. Hieronym. *Rustico monacho*, cap. xii.
4. Sidon. Apollin. *Epist.* IV, iii; I, i; VIII, 8.
5. Adi Maium, *de Symmachi stylo*, p. lviii.

res multos habuit, nempe Ausonium, Macrobium, Ambrosium, Paulinum, Prudentium, Cassiodorum, Sidonium, auctorem de promiss. D., Græcos etiam Libanium, Socratem atque Callixtum, aliosque complures neotericos, ipse[1] in epistola ad ignotum nobis hominem scripta testatur se Gallicanæ facundiæ haustus requirere. « Non quod, inquit, his septem montibus eloquentia Latiaris excessit, sed quia præcepta rhetoricæ senex olim Garumnæ alumnus immulsit. Est mihi cum scholis vestris per doctorem justa cognatio. Quicquid in me est, quod scio quam sit exiguum, cœlo tuo debeo. Riga nos ergo denuo ex illis camenis quæ mihi lac bonarum artium primum dederunt. » Quanta Symmacho fuerit cum illustribus Galliæ viris et scriptoribus, ac præcipue cum Ausonio, sermonis familiaritas litterarumque societas plurimæ illius[2] epistolæ testantur. Quum autem alioqui, ut supra innuimus, Symmachum pateat, Gallicæ facundiæ studiis innutritum, Pliniani præcipue in scribendo leporis amatorem et æmulum fuisse, cui temporis sui virtutes et vitia quædam in scribendo adjecit, quanquam monetæ veteris spectator æquus et judex, poeticum scilicet descriptionum nitorem, densitatem sententiarum, altitudinem sensuum, translatorum licentiam, plurimum ingenii acumen; ex ipso Symmachi exemplo, Galliarum alumni, magnopere C. Plinii in Gallicorum rhetorum scholis laudem et auctoritatem IV etiam sæculo inclaruisse constat.

Quod quum ita sit, et quum ceteroqui, ut ini-

1. Q. Aurel. Symmach. *Epist.* IV, LXXXVI.

2. Symmach. *Epist.* I, XIII-XLIII, inter quas epistola XXXIII Ausonii ad Symmachum.

tio destinati nobis operis scripsimus [1], Maio omnino assentiamur C. Julium Victorem rhetorem Gallicum haud IV sæculo priorem fuisse existimanti, inde nos liquet, tria dicendi genera Gallicanis oratoribus ac rhetoribus hoc sæculo usitata, Tullianum nempe ac Plinianum, quod deinceps Symmachus ac Sidonius secuti sunt, et Frontonianum dicendi genus, animo repetentes, existimare Victorem unum ex iis Galliarum IV sæculi magistris eloquentiæ exstitisse, qui potius Ciceronianam quam Plinianam Frontonianamque sectam amplexi sint. Non quod omnino ceteras neglexerit, utpote qui, ut rhetorices titulus ac finis testantur, inter dicendi auctores Julium Titianum, Frontonianæ sectæ hominem secutus sit; sed quod imprimis Tullium sibi dicendique auctorem proposuerit. Inde fit quod passim in hujus compendio annotavimus, ut nullum alium Latinum dicendi præceptorem, nisi Ciceronem et hujus præcipuum admiratorem M. Fabium annominet, ac nunquam neque Plinium, neque Frontonem, neque Symmachum, si forte illum noscere potuerit, commemorandos esse ducat [2]. Contra autem tantum abest ut eorum præcepta et exempla sibi accommodet, ut ubique dicendi phalerarum et flosculorum et inanium in sententiis illecebrarum reprehensor, largam illam et naturæ semper consentaneam Tullii eloquentiam sive in orationibus, sive in epistolis mira simplicitate verborum ac rerum varietate distinctis requirat. Itaque longe profecto a Symmacho [3] distat hæc ad filium

1. Vide p. 4.
2. Vide p. 41, p. 102.
3. Symmach. *Epist.* VII, XI.

scribente : « Scintillare acuminibus atque sententiis epistolas tuas gaudeo : decet enim loqui exultantius juvenilem calorem. » Iis tamen Symmachi quæ sequuntur, Victor, ut annotavimus, quadam ex parte consonat : « Sed volo ut in aliis materiis aculeis orationis utaris, huic autem generi scriptionis maturum aliquid et comicum misceas [1], quod tibi etiam credo præcipere vel rhetorem tuum. Nam ut in vestitu hominum ceteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur; ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quamdam debet imitari, in forensibus vero acuere arma facundiæ. » Quæ quidem Symmachi ad filium epistolæ verba hoc obiter sunt animadvertenda, quod IV sæculi rhetores innuunt, de epistolis et familiaritate quadam in scribendo sermonis, præcepta certa tradere esse in scholis, sicuti C. J. Victor in compendio suo fecit, solitos. Sed alia ex parte non minore legentium cura digna sunt, quod cum aliis Symmachi epistolarum locis de epistolari genere et cum C. J. Victoris de eadem re præceptis collata, ea sunt quæ plurimum lucis iis quæ a nobis paulo antea dicta sunt afferant. Ex iis enim facile duci possunt et quæ communiter, et quæ longe aliter de conscribendis litteris Symmachus et C. J. Victor ejusdem, ut videtur, ætatis homines senserint; et quibus de causis seu communes seu diversos de illa re, ac generatim de universa eloquendi ratione, sensus uterque expresserit.

Sibi in epistolarum conscribendarum ratione ita ambo congruunt, ut in ipsis iis quæ pariter com-

1. Cf. C. J. Vict., cap. XXVI et XXVII.

probant, diversum tamen quiddam sentire videantur. Quanquam enim uterque et urbanitatem, et pro variis rebus de quibus scribitur varietatem, et in familiaribus litteris brevitatem, et in negotiosis sententiarum pondera, et verborum lumina, et figurarum insignia requirit, hoc tamen inter se C. J. Victor et Symmachus dissentiunt, quod prior nec ævi sui mores et immutata studia pensi faciens, neque aliud præ se gerens quam quod præ se gerere potest scholasticus homo, omnino a rebus gerendis et a forensium splendore negotiorum remotus, nihil sapit, nihil approbat, nihil commendat et præcipit, nisi quod plane a temporibus suis abhorrens, Ciceronis tantum ævo litteris et orationis omni genere expromi poterat; posterior autem maximis sæculi sui et nativæ urbis rebus immixtus (si magnum etiamnum aliquid exstare posset), quamvis non semel Tulliano auro segmentatas epistolas[1] desideret, et tanto antiquitatis studio quanto Ausonius amicus instinctus, Ciceroniano melle oblitas litteras[2] adamet, et sæpe inanes sui temporis epistolarum argutias[3] reprehendat, quæ tantummodo ad salutationum formulas quasdam variandas pertineant, et ætatem illam prætenriisse doleat, qua « [4] parentes etiam patriæ negotia, quæ nunc angusta, vel nulla sunt in familiares paginas conferebant, nihilominus suorum æqualium et auribus et judiciis inservit, et a Tulliana incorrupti saporis, sive in familiaribus sive in gravibus scribendi generibus, facundia discedit, ut omnibus jam-

1. Symmach. *Epist.* III, xii.
2. Id., *ibid.*, I, xxxi
3. Id., *ibid.*, IV, xxviii; VIII, xxiii; II, xxxv; I, xv; III, x.
4. Id., *ibid.*, II, xxxv.

dudum novatæ eloquentiæ ornamentis ac deliciis, Plinii præsertim diligens imitator, indulgeat. Itaque Pliniano more non semel Symmachus aut declamationum versuumque recitationes, aut forensium orationum actiones[1] libenter in epistolis narrat. In quibus nunc sensuum novitatem cum verborum vetustate conjunctam[2] commendat, eo modo veteris novæque eloquentiæ fautores conciliare tentans; nunc in oratione pronuntiata, præter loquendi phaleras, gravitate sensuum verborumque proprietate sonantem Antonium temporis sui oratorem collaudat[3]; nunc autem verba hæc, digna profecto quæ notentur, scribit : « [4] Trahit nos usus temporis in argutias plausibilis sermonis. Quare æquus admitte linguam sæculi nostri, et deesse huic epistolæ Atticam sanitatem boni consule..... Quod si novitatis impatiens es, sume de foro arbitros, mihi an tibi styli venia poscenda sit. Sed, crede, calculos plures merebor, non ex æquo et bono, sed quia plures vitiis favent. » Alias autem, « [5] ἀρχαϊσμὸν, inquit, scribendi non invitus affecto (reapse enim nonnunquam epistolas, secundum C. J. Victoris præceptum, antiquis quibusdam verbis et loquendi formis, veluti luminibus ac stellis, distinguit). Tu tamen fac memineris, illud potius simplex nonnullis videri, quod sequentis ætatis usus recepit. Vis ut epistolis nostris, more majorum, nuda nomina præferantur; si tibi vetus-

1. Symmach. *Epist.* I, xv.
2. Id., *ibid.*, III, xxii.
3. Id., *ibid.*, I, lxxxii.
4. Id., *ibid.*, III, xi.
5. Id., *ibid.*, III, xliv.

tatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus salii canunt, et augures avem consulunt, et decemviri tabulas condiderunt. Jamdudum his renuntiatum est, et successio temporum placita priora mutavit. An si nobis scribenda sit forensis oratio, Jovem Deosque ceteros Catonis lege præfabimur?... Atqui præstat Tullium sequi, qui ignorata majoribus usurpat exordia. » Alias denique seu lepidas ac venustas[1], seu thymum facundiæ spirantes litteras[2] solitis sibi laudibus prædicat; alias sibi nihil argumenti suppetere conqueritur[3] ad propaganda quæ scribit; alias[4] C. J. Victoris et aliorum[5] communem sensum de sermocinationis atque epistolarum similitudine plurimi faciens, exclamat, ipsa M. Tullii mente, ipso judicio instinctus[6] : « Tædet pigetque jam scribere. Quousque enim styli imagine jucunditatem vivi sermonis imitabimur ? » Alicubi ad ignotum nobis hominem missa epistola hæc de epistolari genere significat[7] : « Quod ait noster comicus, nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, id ego de epistolis tuis jure memoraverim, quæ multis salibus, nonnunquam sententiarum, plerumque versuum farciuntur. Veluti nunc litteræ tuæ olentes Platonicum nectar, quantum mihi muneris et honoris dederunt! » Ali-

1. Symmach *Epist.*, III, XLV.
2. Id., *ibid.*, IV, XVIII.
3. Id., *ibid.*, IV, XXVIII.
4. Cf. C. J. Vict., cap. XXVII, p. 124.
5. Est (quod scite scriptum est a Turpilio comico) epistola absentium amicorum quasi mutuus sermo. Erasm. *de ratione conscribendi epistolas.*
6. Symmach. *Epist.*, V, XXX.
7. Id., *ibid.*, IX, LXXXIV.

cubi vero : « Prope est, ait [1], ut te arguere debeam quod sæculo nostro Tullianum stylum famæ parcus invideas. »

Dies profecto me deficiat ex Symmachianis epistolis excerpentem quæcumque utiliter, cum J. C. Victoris præceptis, seu diversa seu consonantia, conferri possunt. Quare opusculi nostri spatio coactus desinam, ea obiter apud Symmachum [2] animadvertisse contentus, quæ ad comicos sales et versus commode, secundum C. J. Victorem, in epistolas transferendos attinent, et quæ revera sæpe in IV et V sæculi epistolarum scriptoribus, verbi gratia Sidonio Apollinari, deprehenduntur; seu quia sic veteres epistolarum auctores fecerant inde a Tullio principe et auctore, seu forsitan quia sic fieri debere rhetores in scholis, quemadmodum ac C. J. Victor in rhetorices compendio, docuerunt. Quæ omnia sedulo a me ex Symmachi litteris in superiores opusculi mei paginas translata sunt, non ut puerili studio quæcumque memoriæ inde obvenissent, temere congererem, sed ut ea quæ protinus sequentur firmius concluderem. Ex his enim omnibus, quæ superius a nobis aut scripta aut excerpta sunt, C. J. Victorem et Symmachum patet (quem libentius, quam quemvis alium ejusdem ævi scriptorem, cum rhetore nostro contulimus, quoniam, velut hic, apta epistolis præcepta passim tradidit, ac præterea Gallicanæ, ut fatetur ipse, facundiæ alumnus fuit), sibi invicem similes exstitisse, quod ingenti uterque studio antiquam a Tullio auctore exortam

1. Symm. *Epist.*, IX, CV.
2. Id., *ibid.*, VII, IX; IX, LXXXIV.

eloquentiam amplexi sint et commendaverint. Dissimiles autem inter se fuerunt ambo, quod alter in scholarum tantummodo umbra eruditus, nihil quod proprie ad ævum suum pertineret sive in toto opere, sive in præceptis ad sermocinationem et epistolas accommodatis, expressit; alter autem, siculi præclarissimus vir communi hominum vitæ et communibus officiis ingenti gloria immixtus, quamvis Ciceronis studiosus admirator fuerit, non tamen Ciceronis meram, nec jam eam quæ ingrato sæculo, veluti phœnix, e cineribus renasceretur, eloquentiam, unice et rigide et absolute et inutiliter affectavit, sed temporibus suis indulsit, et idcirco e variis dicendi generibus immixtam, sive in orationibus, sive in epistolis, dictionem sibi, peritus ætatis suæ æstimator, aptavit. Hæ sunt quidem causæ cur, hinc C. J. Victor, Gallicus, ut videtur, rhetor, rigida scholastici hominis severitate, qui nullum temporum suorum judicii respectum facit, Ciceronianæ tantummodo doctrinæ amator fuisse videatur; illinc Symmachus, Gallicanis pariter innutritus studiis, sed forensis vitæ splendore et experimentis edoctus, sapienter, quoad licuit, sanæ in eloquendo antiquitatis admirationem atque imitationem, cum ævi sui in dicendo loquendoque immutationibus conjunxerit. Ex quo fit ut C. J. Victor, quanquam, et in toto opere, et in duobus ultimis de sermocinatione ac de epistolis capitibus, nihil plerumque, nisi sincerum sanoque judicii examine collaudandum, sapiat, tamen nihil fere, ut sæpe animadvertimus, præ se ferat, quod sæculi sui mores et ingenia, et in dicendo virtutes et vitia enuntiet ac peculiaribus quibusdam signis designet; Symmachus autem,

licet, ut ait Maius [1], non cum Augustei ævi scriptoribus comparandus sit, ac nimia facilioris ingenii indulgentia omnes loquendi scribendique delicias tempore suo celebratas consectetur, nihilominus multo vividiorem atque veriorem sermocinationis, sua ætate usitatæ et lepidissime in epistolis suis adumbratæ, imaginem posteris reliquerit, quam C. J. Victor. Hic enim, IV post Christum sæculo, in eo propemodum unice intentus est, ut Ciceronem unice ac Quintilianum, cum paucis aliorum quorumdam antiquorum præceptis rhetorum, imitandos proponat; neque fere ullum temporum suorum eloquentiæ, describendæ saltem, si non comprobandæ, respectum sibi habendum esse existimare videtur.

Hæc fere erant quæ de prima illa ex tribus argumentationibus generalibus conclusione, finem tertiæ operis nostri parti impositaris, disserenda habueramus. Nunc protinus ad secundam recta pergamus, in qua, quem plane Ciceronianum fuisse inter Gallicos rhetores fautorem monstravimus, is ideo ostendi debet in omnes enervis eloquentiæ errores constanter invectus esse. Sed quorsus hic repetam quæ facile ex supra dictis [2] in sententias, in declamationes nimiis audientium ac recitantium deliciis affluentes, in panegyricos sermones, et in cetera omnia eloquentiæ depravatæ errorum exempla comparari et objici possunt? De secunda hac generalium nostrarum conclusionum portione dicere sufficiat, optime intelligi quare C. J. Victor tam constanti studio omnes magis magisque corruptæ atque

1. Adi Maium, *de Symmach. oratore*, p. LIX et LX.
2. Vide p. 41-43.

imminutæ eloquentiæ culpas insectatus sit, quum quis secum recordatur, IV et V etiam sæculo, quo undique barbari Romanum imperium invaderent ac tempus esse videretur de seriis rebus cogitandi, omnes ineptias, omnes argutias, omnes captiunculas, omnes futilissimorum leporum subtilitates, omnes etiam in sentiendo eloquendoque et scribendo, tum declamationum, tum versiculorum, tum omnium generis recitationum immanitates, non minus quam Senecarum et Pseudo-Quintiliani temporibus, fuisse usitatas et celebratas et incredibili quodam studio affectatas. Quod quidem in ultima, et confestim a nobis explicanda, generalium nostrarum conclusionum parte, antequam ad quartam extremamque totius nostri operis portionem perveniamus, verissimum esse exemplis reperiemus.

Qua in tertia parte, C. J. Victor a nobis, sive in vitiis, sive in virtutibus suis, ostendi debere dictus est, cur et quomodo Gallicorum rhetorum ingeniis communem quemdam saporem redolere videatur, atque insuper IV sæculi esse scholasticus homo. Quod ut plane et commode fiat, quædam nobis de ratione in Galliis rhetoricæ artis edoctæ, quædam de præcipuis apud Gallos eloquentiæ professoribus prænuntianda sunt, ut inde generales quasdam notas dignoscere liceat, quibus in unum collatis C. J. Victoris ingenium rationemque comparare possimus. Non rem quidem a principio altius ductam complectemur, neque inde a Victoris ætate ad Lucii illius Plotii rhetoris Gallici, qui, Suetonio auctore [1], æqualis M. Tullio fuit, historiam ordine

1. Sueton. *De claris rhetor.*, II.

et via totius apud Gallos rhetoricæ disciplinæ repetemus. Non quod nos fugiat rem a primis initiis ortam, et ex Senecarum, Petronii, Quintiliani, Taciti, Plinii, Suetonii ceterorumque plurimorum auctorum fontibus derivatam, eam esse quæ præclare confecta, multum utilitatis jucunditatisque legentibus afferret. Sed mihi non oblivisci licet non hic aliud agi, nisi ut, per aliqua summatim de Gallicanæ facundiæ historia memorata, melius inde C. J. Victoris tum ingenium, tum opusculum æstimari possit. Ea igitur prætermittam, quæ de Gallorum facili eloquentia veteres dixerunt, ac celebre solummodo Censorii Catonis dictum repetam, quo, Charisio auctore, pleramque Galliam duas res industriosissime consequi, rem militarem et argute loqui, prædicavit. Itidem Gallicos illos oratores ac rhetores prætermittam, inter quos præsertim Julius Florus et Julius Secundus et Domitius Afer annumerandi sunt, et qui, inde ab Augusti temporibus, ita semper Romæ et in provinciis eminuerunt, ut eos multi Romani scriptores[1] omni laudum prædicatione extulerint, atque Juvenalis scripserit :

Gallia causidicos docuit facunda Britannos[2].

Marcum illum Aprum, qui, in celeberrimo De causis corruptæ eloquentiæ dialogo, libere se profitetur novum dicendi genus antiquo præponere, et qui e Galliis oriundus fuisse traditur, obiter quoque tantummodo memorabimus. Quinimo sequentes omnes usque ad IV sæculum Gallorum oratorum

1. Senec., Quintil., Tac., Plin. Jun., etc., passim.
2. Juvenal. *Sat.*, xv, 111.

rhetorumque ætates, ex quibus non alia, nisi panegyricæ aliquot orationes, opera supersunt, pariter omittemus. Quas qui intentus perlegerit, is profecto in illis, præter incredibilia adulationis acumina in omnes collaudandi formas se convertentis, constanter duo hæc Gallicanæ facundiæ indicia inveniet, quæ optime divus Hieronymus[1] animadvertit, sermonis scilicet ubertatem et nitorem, quibus, usque ad satietatem voluptatis audientium gratia profusis, panegyricorum Gallici sermonum auctores abutuntur, ab Eumenio inde principe usque ad Pacatum Drepanium, ceteris alioqui ejusdem generis oratoribus superiorem, et fortasse C. Julio Victori nostro æqualem. Hunc si cum præcipuis hisce dicendi magistris conjunges, quorum nobis memoriam Ausonius reliquit, et Ausonium ipsum adjeceris, et Ausonio alios omnes fontes addideris, e quibus aliqua ad Gallicæ eloquentiæ ac rhetorices notionem prosint, atque imprimis non Sidonii Apollinaris, licet sæculo v scripserit, loca quædam negligas, ubi tum de sui, tum de præteriti temporis Gallicis rhetoribus mentionem facit, e cunctis iis scriptorum testimoniis generales dicendi ac scribendi formæ tibi in Gallorum ingeniis annotandæ exsistent. Quæ cum C. Julii Victoris præceptis collatæ ostendent quatenus et quare, aut cum iis consenserit aut ab iisdem discesserit Victor. Unde facile, per novum argumentandi genus, colligetur utrum Gallicus IV sæculi homo et rhetor noster exstiterit.

Tiberius Victor Minervius professorum ex ordine

1. D. Hieronym. *Epist.* XCV, *ad Rustic. monach.*

primus de quibus quædam Ausonius scripsit, et qui, ut sæpe Galli rhetores, e celeberrimis eloquentiæ apud Gallos gymnasiis, artem suam in clarissimas imperii urbes edocendam transtulerant, sic Romæ et Constantinopolis cives rhetoricis præceptis formaverat, ita ab Ausonio laudatur, ut alter illi Quintilianus esse videatur. Hæc igitur de illo Ausonius dicit[1]:

Sive panegyricos placeat contendere libros,
In Panathenaicis tu numerandus eris.
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia : quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret inluviem.
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te sic viguit, cedat ut ipse tibi.
Anne et divini bona naturalia doni
Adjiciam, memori quam fueris animo?
Audita ut, vel lecta semel, ceu fixa teneres;
Auribus et libris esset ut una fides.

Latinum deinde Alcimum Alethium rhetorem Ausonius prædicans, eum

Palmæ forensis, et camenarum decus

nominat[2]. Luciolum autem rhetora pariter ac poetam fuisse significat[3]. De Attio Patera patre dicit hæc[4] :

Memor, disertus, lucida facundia,
Canoro cultu præditus.

1. Auson., *Professor.*, I, 13-24.
2. Id., *ibid.*, II, 9.
3. Id., *ibid.*, III, 1-4.
4. Id., *ibid.*, IV, 17-18.

Atticum Tironem Delphidium sic alloquitur[1].

Facunde, docte, lingua et ingenio celer,
  Jocis amœne, Delphidi.
. . . .
Celebrata varie cujus eloquentia
  Domi forisque claruit;
Seu tu cohortis præsulem prætoriæ
  Provinciarum aut judices
Coleres, tuendis addictus clientibus,
  Famæ et salutis sauciis.

Complures ex iis qui apud Ausonium sequuntur, grammaticos plerosque, utpote nihil peculiariter annotandum præbentès, pertranseo. Nepotianum vero grammaticum atque eumdem rhetorem hisce versiculis extollit Ausonius[2]:

Facunde, nulli rhetorum cedens stylo,
Et disputator ad Cleanthen Stoicon,
Scaurum Probumque corde callens intimo;
Et Epirote Cinea memor magis.

Quod ad Exuperium, Burdigalensem civem ac Tolosæ rhetorem attinet, ita hunc poeta noster salutat[3]:

Exuperi memorande mihi, facunde sine arte,
Incessu gravis, et verbis ingentibus....
Copia cui fandi longe pulcherrima. Quam si
Auditu tenus acciperes, deflata placeret:
Discussam scires solidi nihil edere sensus. . .

Hæc denique ex Ausonii carminibus, quæ ad professores spectarent, excerpenda duxi, eum secutus

1. Auson. *Professor.*, V, 1-2 et 13-18.
2. Id., *ibid.*, XVI, 10-13.
3. Id., *ibid.*, XVIII, 1-2 et 4-6.

ordinem, ut primum Staphylio rhetori, civi Auscio, deinde Crispo et Urbico, grammaticis Latinis et Græcis, postea Victorio, subdoctori sive proscholo dicata quædam vicissim expromerem. Jam ad Staphylium[1] veniamus :

Grammatice ad Scaurum atque Probum, promptis-
Historiam callens Livii et Herodoti. [sime rhetor,
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita : quantam
Condit sexcentis Varro voluminibus.
Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus;
Nec cunctator eras, nec properante sono.

Crispum et Urbicum impete eodem solitos esse prosa et versu loqui Ausonius dicit[2], ita ut fando et dulcem Plistheniden, et torrentis Dulichii ninguida dicta, et mellitæ nectare vocis dulcia fatu verba canentem Nestora regem referrent.

Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes mythoplasmata et historiam,
Liberi et ambo genus, sed quos meruisse deceret
Nasci, ut cluerent patribus ingenuis.

Victorii tandem, cui hoc initium carminis consecrat :

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Assidue in libris, nec nisi operta legens

nimis abstrusa studia fuisse narrat Ausonius[3]; quæ illi, ut ait, nota potius erant,

. . . . quam Tullius, et Maro nostri,
Et quicquid Latia conditur historia.

Quod si ex iis Ausonii fragmentis generales quæ-

1. Auson. *Professor.*, XXI, 7-12.
2. Id., *ibid.*, XXII, 13-28.
3. Id., *ibid.*, XXIII, 1-14.

dam ingeniorum et Gallicanæ eloquentiæ notas trahemus, quæ non solum ad professores eos pertineant, qui in Burdigalensi ludo rhetoricæ artis præcepta explicaverunt, aut ex eodem gymnasio in alias scholas peregrinati sunt, sed etiam ad omnes dicendi magistros qui in Galliis IV sæculo floruerunt, ideoque, ut verisimile est, ad C. Victorem nostrum producantur, præcipua hæc in Ausonianis versibus Gallicorum rhetorum eloquii signa impressa esse existimabimus. Non minus Ausonii ætate, quam antea, nimio panegyricarum dictionum amore Galli homines ac rhetores laborabant; non minus, quam olim, fictas ludorum lites, id est, declamationes incredibili rerum sententiarumque licentia lascivientes, majores nostri adamabant. Ingens præterea verborum volubilitas et flumen, quam dicendi torrentem copiam appellat Ausonius; maxima pronuntiationis et omnium quæ ad vocis inflexionem, ad oris moderationem, ad oculorum nutus, ad corporis motus, ad decentem vestitus habitum spectarent, cura; acris, et vigens, et ita fidelis memoria, ut arrepta semel verba penitus animo defixa retineret (veterum rhetorum ac præsertim Senecæ illius patris[1] in morem, qui duo millia nominum recitata, quo ordine essent dicta, se reddidisse asseverat); tria hæc, copia nempe, pronuntiatio, memoria, in maximo honore assiduoque usu apud Gallicos dicendi magistros erant. Inde memoriam præsertim intelligitur tam sæpe ab Ausonio, in æqualibus suis ac plerisque civibus eloquentiæ professo-

1. M. Ann. Senec. *Rhetor. Controv.*, lib. I, p. 54, Ed. Le Maire.

ribus, celebrari. Nec solum memorem, sed etiam disertam, et lucidam et canoro cultu præditam facundiam, in præceptoribus iisdem exstitisse testis est. Quod profecto laudatæ facundiæ genus ad duo illas eloquendi virtutes reduci potest, quas, ut supra memoravimus [1], proprie Gallico sermoni assignavit Hieronymus, ac gravitate Romana condiendas esse censuit. Merito quidem hic censebat, si non jamdudum Romana eloquentia, ut ipse Symmachus conquerebatur, multum de sermonis integritate amisisset; nam omnia quæ nobis Gallici in dicendo generis monumenta, seu panegyrici sermones, seu carmina, seu epistolæ, seu opera alia, supersunt, ubertatem istam et istum nitorem aut in nimiam verborum exuberantiam redundasse, aut in exquisitiorem dicendi apparatum et cultum abiisse testantur. Quid enim aliud in regione fieri poterat, quæ rhetoricorum quotidie, ut Hieronymi [2] verbis utar, clamore personabat? Quod ipse Ausonius aliquatenus agnoscit, quum Exuperii verba ingentia et copiam fandi longe pulcherrimam commemorat [3]. Quippe qui hanc, si auditu tenus acciperes, deflatam placuisse fateatur, discussam vero solidi nihil edidisse sensus. Ceterum quum ex Gallicis scriptoribus, quorum unum Pictavensem divum Hilarium Latinæ eloquentiæ Rhodanum Hieronymus nominat [4], tum ex Gallici cothurni appellatione, quam

1. Vide p. 119.
2. D. Hieronym. *Commentar. in epist. ad Galat.*, lib. II cap. III.
3. Vide p. 121.
4. D. Hieronym. *Commentar. in epist. ad Galat.*, lib. II, cap. III.

idem usurpat, tot aliis juncta testimoniis, Gallos dicendi magistros et oratores satis constat plus æquo grandem magniloquentiam, ac nimium in verborum apparatu cultum affectasse. Itaque ad Gallos omnes consilia transferri possunt, quæ immodico forsitan dictionis figurarum luxu onerata, ad Rusticum monachum Hieronymus mittebat[1]. « Audio, inquit, religiosam habere te matrem quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt, misit Romam, ut ubertatem Gallici nitoremque sermonis gravitas Romana condiret, nec calcaribus in te, sed frenis uteretur; quod et in disertissimis viris Græciæ legimus, qui Asianum tumorem Attico siccabant sale, et luxuriantes flagellis vineas falcibus reprimebant, ut eloquentiæ torcularia, non verborum pampinis, sed sensuum, quasi uvarum expressionibus redundarent. »

His omnibus Gallicæ eloquentiæ veluti insignibus notis, inter Ausonii opera facile colligendis, alia de hac eadem re subjungi indicia possunt, linguæ scilicet et ingenii celeritas, et jocorum amœnitas, et disputatrix facundia, quæ argutam illam elocutionem refert quam, Charisio teste, Censorium Catonem proprie Gallis assignavisse diximus[2]. Insuper Gallici IV sæculo magistri, grammatices et historiæ et antiquitatis omnis Romanæ, et vetustissimarum apud Latinos litterarum diligentissimi fuisse investigatores videntur. Nec minus interim assidua erat apud nostros homines sermonis quieti jucundique exercitatio, cum frequenti consuetudine conjuncta

1. D. Hieronym. *Epist.*, xcv.
2. Vide p. 119.

non minore impetu prosa quam versu loquendi, et facili canoraque voce, nunc panegyricas dictiones et orationes et declamationes, nunc omnis generis versiculos et carmina palam in auditoriis, in locis quæ athenæa [1] appellabant, voluptatis audientium et plausus gratia, recitandi. Quæ quidem omnia non modo ex Ausonio, e Symmacho, aliisque IV sæculi scriptoribus manifesta sunt; sed, V etiam post Christum ævo, e Sidonii nostri Apollinaris compluribus epistolarum locis, et ex Ennodii Ticinensis episcopi dictionibus, et ex aliorum testimoniis ultra Ausonii et Symmachi ætatem, ostendunt declamationes et quaslibet rhetorum poetarumque recitationes constanti usu in Galliarum scholis et auditoriis, et athenæis viguisse. Quæ si plane vera et confirmata sunt, inde liquet omnibus iis sententiarum acuminibus, quibus magnopere in epistolis gavisum esse Symmachum memoravimus, et quæ libenter tum hic, tum Cassiodorus, litterarum plerumque initio usurpant, quæ contra C. Julius Victor in orationum clausulis nimium frequentata vituperat [2], Gallicos IV ævi rhetores acerrime studuisse.

Illam in verbis stellarum ac phalerarum supellectilem, quas nonnunquam joci gratia M. Tullius ληκύθους nominat [3], de industria plausus concitandi causa collocatas, non minus IV sæculo, quam antea, nostri adamabant. Sive enim e panegy-

1. Symmach. *Epist.*, I, xv. Sidon. Apollin. *Epist.*, II, IX; IX, XIV.

2. C. J. Vict., cap. XXII, p. 107, ex Quintil. VIII, 5, 13-14. Vide p. 31-32.

3. Cic. *ad Attic. Epist.*, I, XIII.

ricis Eumenii et Pacati et ceterorum dictionibus, sive e permultis Ausonii et Symmachi operum locis, sive e ceteris omnibus Gallicanæ facundiæ reliquiis, eorum auctores libentissime rhetoricis, subtilibusque plus æquo ingeniorum deliciis indulsisse constat. Quorum facilis et creberrimo usu corroborata memoria efficiebat, ut non solum panegyricarum earum adulationum, quibus præsentes principes condonabant, ambitiosos circuitus et ambages memoriter recitarent, sed etiam ut extemporales orationes, si liberet, e diligenti rerum verborumque recordatione expromerent. Sic juvenem, Burgundionem nomine, dignum omnino fuisse quem plausibilibus Roma foveret ulnis Sidonius[1] dicit, quoque recitante, crepitantis Athenæi subsellia cuneata quaterentur; quod eum decentissime pronuntiantem, quæ quidem scripserat extemporaliter, admirabantur benevoli, mirabantur superbi, morabantur periti. Quibus in litteratorum circulis, præter vivorum hominum panegyricas collaudationes, interdum defunctorum virorum, sicuti C. Julii Cæsaris, et ceterorum qui celeberrima rhetoribus præbebant themata, laudes, Sidonio eodem teste, consonabant. Materiæ[2] autem quas vera, et in campi quodammodo pulverem proferenda, sibi servabat eloquentia, quid aliud esse poterant, quam aut humiles omnino vulgaresque causæ, aut, si forte paulo elatiores essent, illæ de quibus nuper loquentem induximus[3] Ausonium[4], quæque seu coram

1. Sidon. Apollin., *Epist.* IX, xiv.
2. Vide p. 25; p. 33-34; p. 56-58; p. 69; p. 85.
3. Vide p. 121.
4. Auson. *Professor.*, V, 13-18.

præsule, ut ait, id est præfecto cohortis prætoriæ, seu coram provinciarum judicibus, seu nonnunquam etiam, ut narrat Ammianus Marcellinus, coram ipsis principibus, agerentur? Is enim hæc de Attico Tirone Delphidio, uno e rhetoribus ab Ausonio prædicatis, narrat[1] : « Numerium Narbonensis paulo ante rectorem accusatum ut furem, inusitato censorio rigore, pro tribunali, palam admissis volentibus, Julianus Cæsar audiebat. Qui quum insita ratione defenderet objecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius, orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamavit : Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit unquam, si negare suffecerit? Circa quæ Julianus prudenter motus, ex tempore : Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? » Ita ut amplissimæ quæ superessent oratoribus causæ, ad peculatus, ad malæ gestæ provinciæ, ad offensionis erga principis majestatem crimina, sæculo IV, perinde ac Plinii Junioris et Cornelii Taciti ætate, referrentur, ut supra diximus[2]; eo tamen diligenter æstimando discrimine, quod principum post Augustum usque ad Trajanum ævo, plurima adhuc veteris eloquentiæ, licet in dies corruptæ, vestigia servata erant, verisimili autem Caii Julii Victoris et Ausonii et Symmachi ætate, facundiæ virtutes magis magisque, diversis de causis, imminutæ erant, vitia vero supergressa fuerant. At reliqua quæ tunc erant forensi ac veræ eloquentiæ servata themata, vel ad privatas illas causas redu-

1. Amm. Marcell., XVIII.
2. Vide p. 25.

cebantur, quæ aut de stillicidiis, aut de privata aliqua apud pedaneum judicem, ut ait C. Julius Victor [1], et ad sermocinationis vicem depressa actione tractarent; vel ad vanas plerumque illas et humiles Patrum Conscriptorum deliberationes revocabantur, quibus frustra dignitatem et præstantiam jamdudum obsoletam renovare et in orationibus et in epistolis Symmachus est conatus. Hæc hactenus de materiis, quæ, IV sæculo, forensis eloquentiæ campo et veræ de veris rebus facundiæ gyro, tum in ceteris Romani imperii partibus, tum in Galliis, conservatæ erant.

Jam cuncta prope Gallicorum rhetorum et virtutum et vitiorum insignia brevi quodam spatio contraximus. Quorum si præterea certa studia, et mores, et religiones, et quotidianum vivendi genus, et conditionem perstrinxerimus, omne punctum pæne tulerimus, unde dein IV sæculi Gallicos dicendi præceptores cum Victore nostro conferre possimus.

Cuncti ii rhetores, de quibus pauca nobis tradita sunt, aut quorum scripta aliquot superfuerunt, Græcarum litterarum multo minus tritam exercitationem, minorem usum, et quotidiana tractatione continuoque commercio minus doctam experientiam, quam scriptores Ciceroni et etiam Quintiliano æquales, videntur, ut jam antea dictum est in hoc opusculo, habuisse. Scio equidem multa objici posse, quæ nostris de hac re conclusionibus, non semel supra repetitis [2], obstare videantur. Ausonium,

1. C. J. Vict., cap. XXIV, p. 112.
2. Vide p. 47-50; p. 99 100.

verbi gratia, patrem [1], medicum, dici potest adeo intimum et familiarem Græci sermonis usum tenuisse, ut difficilius Latina quam Græca lingua eloqueretur. Scio apud Arelatenses Constantini Junioris funebrem orationem [2] græce IV sæculo esse pronuntiatam. Scio epistolas quasdam Ausonii poetæ [3], aliasque ejusdem operum partes Græcis vocabulis inspersas esse et nonnunquam continuatas, et plurima hujus scriptoris epigrammata [4] e Græcis epigrammatibus translata esse. Ausonium scio, inter Burdigalensis scholæ professores, non unum græce dicendi magistrum referre [5], quorum peritiam prædicavit, et semetipsum dicere, si parum in Græca elocutione profecerit, sibi, non suis Græcæ linguæ præceptoribus, vitio vertere debere [6]. Scio in Codicis Theodosiani titulo [7], ubi diversa pro diversis professoribus salaria assignata sunt, mentionem de grammatico fieri, qui in Trevirensi gymnasio Græci sermonis leges edoceat, si modo ut adjicit legis illius lator, aliquis inveniatur qui id oneris suscipiat; adeo jam hominem Græcarum litterarum haud rudem, IV sæculo in septen-

1. In Edyllio tricesimo, v, 9-10, ita loquentem Ausonius patrem inducit:

> Sermone impromptus Latio : verum Attica lingua
> Suffecit culti vocibus eloquii.

2. *Monodia seu oratio in Constantini Junioris mortem*. Paris. 1616, in-8.
3. Auson. *Epist.* xv, xvii.
4. Auson. *Epigr.* xii, xiv, xx-xxiv, xxviii-xxxi, xl-xlii, xlv, lii, etc.
5. Auson. *Professor.*, II, VIII, XIV, XXII.
6. Id., *ibid.*, VIII, 9-13.
7. Cod. Theod., lib. XIII, tit. iii, 11.

trionali Gallia inveniri posse Romani principes diffidebant. Scio tamen Harmonium, Trevirensem grammaticum, Ausonio teste[1], Homeri poemata spuriis versibus inquinata expurgasse. Scio denique apud Sidonium[2] ipsum, id est, Gallicum v sæculi scriptorem, et alios auctores, indicia deprehendi posse, ex quibus colligatur, hoc ipso sæculo, Græcas litteras non in Galliis desertas esse omnino ac neglectas. At nihilominus, etiam quum cuncta hæc testimonia in unum congero, non mecum mihi repugnare videor, qui bis jam terve dixi Latinos Gallicosque fere omnes iv sæculi eloquentiæ magistros, inter quos Ausonius et Symmachus et C. Julius Victor veluti exempla afferendi sunt, multo infrequentiorem Græcarum quam Latinarum litterarum cognitionem et consuetudinem, cum Quintiliano et Plinio Juniore et Marco præsertim Tullio collatos, ostendere.

Ut autem Gallici illi, qui iv ævo floruerunt scriptores, Romanæ fere unius linguæ ac Romanarum solummodo prope litterarum saporem redolent, et familiaritatem præ se ferunt; ita illorum multi, et continuo epistolarum inter se commercio, et doctis, utpote inter litteratorum circulos, sermocinationibus, et assidua veterum omnium Latinorum poetarum tractatione, impulsi sunt ut antiqua illa Romanæ eloquentiæ et poeseos opera, veluti rheto-

1. Auson. *Epist.*, II, v. 26-31.

2. Sidon. Apollin., III, 6; IV, 1; IV, 12, ubi hæc leguntur: « Nuper ego filiusque communis Terentianæ Hecyræ sales ruminabamus.... Quoque absolutius rhythmos comicos incitata docilitate sequeretur, Epitrepontem Menandri in manibus habebam. »

rica themata, aut poeticas exercitationes quotidianæ imitationi propositas arbitrarentur. Inde factum est, quod ex Ausonii et Sidonii Apollinaris operibus constat, ut v et IV sæculo, Gallici rhetores varia poetices genera libenter excolerent. Nec solum hisce æqualium suum rhetorum studiis Ausonius, ipse Gallicus rhetor, sive per se testimonio est, sive per ea quæ de quibusdam Burdigalensis scholæ professoribus prædicavit, sive per laudes quibus paulum Axium rhetorem ac poetam comicum, aliosque, palmæ forensis et camenarum decus, extulit[1]; sed etiam multa Sidonii epistolarum loca plane confirmant quanto in usu, apud Gallicos v sæculo dicendi præceptores, omnia poematum genera fuerint. Quibus e locis, hoc unum mihi, sicuti plenum ceterorum exemplar, afferre liceat. Sidonius ad Lupum quemdam rhetorem et poetam scribens, quem nimiis, ut solet, laudibus extollit, eum ita cum Antedio, Gallico poeta, confert, ut obiter hisce verbis Antedii ingenium commemoret[2]: « Si orationes illius metiaris, acer, rotundus, compositus, excussus. Si poemata, tener, multimeter, argutus, artifex erat. Faciebat siquidem versus, oppido exactos, tam pedum mira, quam figurarum varietate.... In materia controversiali fortis et lacertosus ; in satirica sollicitus et mordax ; in tragica, sævus et flebilis ; in comica urbanus multiformisque ; in Fescennina, vernans verbis, æstuans votis ; in bucolica vigilax, parcus, carminabundus ; in georgica, sic rusticans multum, quod nihil rusti-

1. Auson. *Epist.*, XIV ; *Professor.*, II, 7.
2. Sidon. Apollin. *Epist.*, VIII, XI.

cus. Præterea quod ad epigramma spectat, non copia, sed acumine placens.... In lyricis autem Flaccum secutus, nunc ferebatur in iambico citus, nunc in choriambico gravis, etc.... Quid plura? subtilis, aptus, instructus, etc.... » Quibus e laudibus si quiddam barbaricum magis, quam Ausonii ætate, ademeris, tibi profecto generalis Gallicorum istorum rhetorum et manifesta supererit effigies, qui omnia poeticæ artis genera inani imitandi prurigine impulsi tractabant. Dramatica autem et comica præsertim poesis fuisse ea videtur, quæ sæpe ab Ausonii æqualibus exercitata sit.

Qua quum ab exercitatione nihil plerumque, nisi sterilem ingeniis proventum referrent, itidem a philosophia, qua veluti, optima eloquentiæ palæstra usus erat Tullius[1], nullum jam dudum rhetorum disciplinæ et advocatorum oratiunculæ auxilium sibi comparabant. Philosophiæ enim tractatio et usus deterior in dies et jejunior evaserat. Itaque, etsi quædam in Ausonii operibus philosophiæ documenta[2] apud Gallos IV sæculi dicendi magistros et scriptores agnoscuntur, ac Sidonii etiam epistolæ et carmina passim demonstrant, tum quasdam philosophiæ disciplinas, tum syllogismorum captiunculas et irretitiones, sæpe apud quosdam suorum temporum eruditos viros usuvenisse[3]; etsi Sidonius et Salvianus de veteribus philosophorum sectis, Epicureorum verbi gratia, ad-

1. Cic. *Orat.*, III-IV.

2. Præter *Septem Sapientes*, vide in Ausonii *Professor.* XVI, v. 11, ubi de Nepotiano dicit: « Disputator ad Cleanthen Stoicon. » Cf. *Prof.* XXI-XXIII.

3. Sidon. Apollin. *Epist.*, III, VI; IV, I; IV, II; Panegyrico

huc eloquuntur; etsi ad D. Theodosium scripta epistola Symmachus celsum philosophiæ apud Romanos magistrum prærogativa consulari decorandum esse censet[1]; etsi denique Macrobii et Boetii nomina cunctis illis testimoniis afferri possunt, unde concludatur non omnino, neque Romæ neque in Galliis, IV et V etiam sæculo, derelictum esse philosophiæ studium, verisimile est tamen e philosophorum disciplinis minimam sibi, ne dicam, nullam utilitatem rhetores oratoresque Gallos comparasse.

Quum igitur fecundum omne imitandi genus e liberalibus disciplinis, eloquentia, poetica arte, philosophia depromptum, rhetorum nostrorum studiis deesset, inde patet quomodo nihil generosum, nihil excelsum, nihil renovandæ facundiæ accommodatum, nihil liberum in illorum exercitationibus et doctrinis et discipulis reperiatur. Quorum si a studiis ad mores atque vitam transeamus, eos, frequentissimis Ausonii et Symmachi et Sidonii et aliorum indiciis, serviliori, quam decebat, veterum litterarum imitationi addictos, moribus quidem benignos et comes et scholasticæ vitæ amantissimos fuisse agnoscemus, et ideo futilissimis sæpe doctrinarum argutiis leporibusque consectandis intentos. Horum[2] nullo felle mentem livido infectam, sale

quem dixit Anthemio Sidonius, illum inter ceteras philosophorum doctrinas, didicisse prædicat

Ordine terno
Quæ vel Aristoteles partitus membra loquendi
Argumentosis dat retia syllogismis.
Sidon. *Carm.* II, 173-175.

1. Symmach. *Epist.*, X, XVIII.
2. Auson. *Professor.*, I, 31-36.

multo linguam dicacem et blandis sine lite jocis, frugalitatem, tenorem[1] regulæ, gravitatem, liberalitatem, mitem[2] amicitiam, erga suos pietatem, erga omnes sermonis comitatem, modestiam[3], temperantiam, lætos[4] hilarosque et placidos mores, facetum[5] ingenium, animum juvenilem etiam in senecta, pulchram[6] senectam, nitentem habitum, procul ab ira doloque, commoditatem[7], lætitiam, benignitatem, abstinentiam Ausonius non semel prædicavit. Sin autem omnia de Gallicis rhetoribus atque eorum moribus testimonia collegeris, atque una eorumdem virtutes ac vitia pensaveris, profecto hosce intelliges non alios fuisse, quam esse homines possent, nunc in scholarum umbra cum discipulis didascalico nimium ritu eruditis delitescentes, nunc in litteratorum circulis omnem eruditionis apparatum, aut subtilitatis nimiæ fucatæque elegantiæ curam ostentantes. Sed reipsa nihil vere magnum et e magnanimo pectore exundans in iis esse poterat, quorum multi, ut Pacatus, ut illorum plerique quos posteris Ausonius tradidit, paganis superstitionibus imbuti erant. Quin etiam in rhetoribus iis, quos insequente sæculo in epistolis suis celebravit Sidonius, licet fide cordis intima christiani et essent et dicerentur, tamen vana ethnicorum morum et ingeniorum, et dicendi scribendique generum mendacia, in illorum mentibus impressa

1. Auson. *Professor.*, II, 11-16.
2. Id. *ibid.*, III, 9-13.
3. Id. *ibid.*, IV, 19-22.
4. Id. *ibid.*, VII, 1.
5. Id. *ibid.*, XVI, 1.
6. Id. *ibid.*, XXI, 13.
7. Id. *ibid.*, XXV, 9.

erant. Hinc ergo fiebat, ut tot tamque futiles otiosarum mentium prolusiones ac deliciæ, Gallicorum illorum rhetorum, etiam quum christiani v sæculo evasissent, ingenia et studia levissimis occupationum nugis detinerent. Neque alia sane exspectari ab hominibus poterant, qui in scholis jejuna et humilia et pueriliter veteratoria edocendo consenescebant. Non quod interdum Gallici illi rhetores non altiore quodammodo volatu ex angustis patriæ finibus emergerent; velut Æmilius Magnus ille Arborius[1], Ausonii avunculus, Tolosanus rhetor, qui rhetoricam artem tanto famæ honore apud Constantinopolitanos professus est, ut mortui cineres Constantinus imperator in patriam reduci jusserit; velut Alethius Minervius[2], rhetor Burdigalensis, qui Romæ oratoriam artem edocuit; velut ceteri quorum hic afferre nomina in promptu esset. Non quod amplissima Gallicis oratoribus ac rhetoribus, veluti Latinis omnibus dicendi magistris, præmia non proponerentur, sive quis salaria respiciat quæ Theodosianus codex[3] diversis professoribus assignata tradit; sive secum recordetur forensem eloquentiam (quamvis tantopere, de iis quas diximus causis, imminutam) et etiam oratoriæ artis professionem, iv sæculo, ad summos honores, et provinciarum administrationem, et prætorias præfecturas, et varia principum palatii munera provehere esse consuetam; sive, inter cetera laudum testimonia, epistolam a Theodosio Magno[4] ad Au-

1. Auson. *Professor.*, XVII
2. Id. *ibid.*, VI.
3. Cod. Theod., lib. XIII, tit. 3, 11.
4. Inter Auson. *Epigr.*

sonium missam memoria teneat. Non quod denique non ea addita esset rhetorum oratorumque arti, ex communi opinione, laus et commendatio, ut sæpe eam exercerent non modo, sicut Romæ olim, ignobili stirpe homines orti, sed etiam amplissimis natalibus illustres viri. Quod quum alia indicia, tum quædam Ausonii operum loca confirmant; qui inter Burdigalensis scholæ professores Attium Pateram[1] nominat Bajocassensem, stirpe Druidarum satum, et Citarium[2], et Acilium Glabrionem stemmate nobilium deductum avorum, Aquilini Dardanam progeniem. Contra autem Ausonius Crispum et Urbicum[3], grammaticos Latinos et Græcos, meruisse dicit nasci, ut cluerent patribus ingenuis; adeo jam assueti erant Galli professoribus, aut ex illustri, aut ex honesto saltem genere ortis. Neque sane admirandum est utrum conspicui natalibus viri, sive rhetoricen, sive etiam grammaticen, vulgo in Galliis, Ausonii ætate, docuerint; quum jam frequentibus testimoniis id manifestum esse agnoverimus, sæpe dicendi magistros principum liberis instituendis, Frontonis, Julii Titiani, Æmilii Magni, Arborii, Exuperii Tolosani rhetoris, Ausonii ipsius et fortasse C. Julii nostri Victoris more, præpositos, ad summa deinde honorum munera idcirco fuisse provectos. Sed cuncta illa præmia exstinctam jamdudum civilium virtutum et ideo eloquentiæ vim, quam pectus et mores et tempora tantummodo faciunt, revocare non poterant.

Jam ad finem vicissim describendi pervenimus,

1. Auson. *Professor.*, IX. Cf. *ibid.* X, 19-26.
2. Id., *ibid.*, XIV. XXV.
3. Id., *ibid.*, XXII.

quæ IV sæculo præcipuæ, aut virtutum, aut vitiorum notæ Gallicanæ facundiæ inessent, et quæ præsertim studiorum, ingeniorum, morum, vitæ et conditionis insignia in Gallicis ejusdem ætatis hominibus animadverti possent. Gallicæ quidem eloquentiæ hæ nobis esse visæ sunt principales formæ : panegyricarum dictionum, et declamationum et sententiarum incredibilis quidam amor; exuberans orationum copia; pronuntiationis et memoriæ singularis cura; diserta et lucida et canora facundia; ubertas et nitor; linguæ et ingenii arguti celeritas; diligens antiquæ latinitatis investigatio; sermonis jucundi consuetudo in IV sæculi epistolarum acuminibus expressa; nimius loquendi phalerarum usus; extemporalium dictionum facilitas; themata rhetorica mortuorum etiam virorum nonnunquam complexa laudes; materiæ denique verarum orationum aut coarctatæ, si cum antiquis conferantur, aut vulgares et quotidianæ. Gallicorum vero rhetorum ita studia adumbravimus, ut apud eos Græcarum litterarum familiaritatem multo minorem, quam apud Ciceronis et etiam Quintiliani æquales esse diceremus; ut eosdem omnia poeticæ artis, ac præsertim dramaticæ genera, nullo ingenii sponte sua scribentis impetu, sed veluti rhetorica tantummodo themata, tractasse profiteremur; ut nihil eos e philosophiæ curtatæ disciplinis egregium in artem suam transduxisse contenderemus. Horum deinde mores, veluti scholasticorum solum hominum, ethnicis plerumque erroribus imbutorum depinximus. Inde autem ad illorum vivendi genus et conditionem transgressi, facile eos ostendimus, licet ipsorum arti magna

essent præmia proposita, et ipsi sæpe non humili genere orti essent, non aliam tamen neque morum neque studiorum rationem, aut tenorem alium facundiæ, habere potuisse.

Nunc opportunum tempus instat breviter ad C. Julium Victorem redeundi, commonstrandique quomodo et quatenus et quare hujus compendium, aut cum iis consonet quæ supra memoravimus, aut ab iis, si forte se ita ferat res, discrepare videatur. Cum Gallicis generatim comprehensis rhetoribus ea ingenii societate congruere C. Julium Victorem annotavimus, qua, velut ii, memoriam [1] et pronuntiationem [2] diligenter excultam commendat; qua eloquentiæ ubertatem [3] et nitorem [4] collaudat; qua accurate antiquæ latinitatis auctores magni facit, et scripta quædam [5] ab iis libenter in medium affert; qua sermocinationis et epistolarum leges religiose consignat; qua facultatem subito dicendi optima scribendi exercitatione confirmandam esse censet [6]; qua multo minus e Græcis, quam Latinis fontibus videtur hausisse [7]; qua poetarum [8], ac præsertim

1. C. J. Vict., cap. XXIII.

2. C. J. Vict., cap. XXIV.

3. C. J. Vict., cap. XXV, p. 118: Facile remedium est ubertati.

4. C. J. Vict., *ibid.* Eum ex Tullio eloquentem nominat, qui possit illuminate et verbis et rebus et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficere.

5. C. J. Vict., cap. II, p. 5; cap. XXIV, p. 115, cap. VI, § 6. Vide p. 43-45.

6. C. J. Vict., cap. XXV.

7. C. J. Vict. passim. Vide p. 49-50.

8. C. J. Vict. Nunc Ennii et Virgilii exempla affert (cap. XI, § 6; cap. XII; cap. XXII); nunc brevia et dilucida orationum principia præcipit, « ut Homerus atque Virgilius operum

dramaticorum auctorum, assiduam lectionem multum ad elocutionis et sermonis elegantiam conferre arbitratur; qua nihil excelsum ex imis quodammodo philosophiæ penetralibus, in eloquentiam, Tullii ritu, transtulit[1]; qua denique studia et mores et religionem et vitam et conditionem haud disparia, ut verisimile est, eorum habuit, quæ in plerisque IV ævi Galliarum præceptoribus annotari possunt. Plerorumque enim instar, eum totus rhetorices libellus demonstrat et scholasticum omnino pæne a civili vita remotum hominem fuisse, et sicut Maius probabiliter conjecit[2], hinc Galliarum in gymnasiis quibusdam, Titiani in morem, oratoriam artem esse professum, hinc autem Rhetoricæ Artis suum compendium, studiosi alicujus et illustri loco orti gratia juvenis, composuisse; cujus fortasse studiis, velut Maximini junioris Titianus, Gratiani Ausonius, et aliorum alii, præpositus est. De ethnicis vero erroribus, quos cum multis æqualibus rhetoribus communes C. Julius Victor habuit, jam diximus[3]; ac de vita et conditione obscura, eum ex Maii auctoritate suspicati sumus[4] forsitan ab

suorum principiis faciunt » (cap. XV); nunc ornari elocutionem præcipue descriptione dicit, cujus poetica quædam exempla indicat (cap. XXII); nunc ad sermonis elegantiam conferre comœdias veteres asseverat (cap. XXVI).

1. Vide p. 24-25. Ceterum ne admiremur quod libenter Virgilii quædam Victor proposuerit, post Gallicum illum rhetorem Titianum, qui, ut notat Servius (*ad Æneid.* X), thematum materias omnes de Virgilio elicuit, et conformavit ad dicendi usum.

2. Maius, *de Victor. Rhetoric.*, p. LXVIII.

3. Vide p. 52-59.

4. Vide p. 3-5.

uno ex Gallis iis, quos Cæsar, libertate aut civitate donatos, Juliæ simul gentis nomine donaverat, originem traxisse, atque rhetoricarum exercitationum, sicuti tot Galli fuerunt, amantissimum, omnem ætatem in scholasticorum hominum umbratili vita consumpsisse. Hæc quidem præcipua cum Gallis IV ævi rhetoribus C. Julius Victor præbet. Iis autem et generis et vitæ et studiorum rationibus, a Gallicis multis dicendi professoribus æqualibus differt, aut saltem differre nobis videtur, quod e nobili stirpe ortum esse Victorem non constat, plurimorum instar, quos Ausonius dicendi et scribendi magistros tradidit; et quia noster non amplissimis honoribus et dignitatibus et opibus decoratus esse dicitur, velut Ausonius et alii Gallici rhetores. Quod si a rhetoris nostri origine et verisimili vita ad mores et studia transibimus, hunc libere dicemus severiorem antiquorum apud Romanos oratorum adhibitæ in moribus studiisque rationis vindicem nobis videri, quam plerosque ejusdem ævi eloquentiæ præceptores. Dum hi enim novos, aut potius jamdudum in ipsa novitate marcescentes eloquii flores, sive in gravi oratione, sive etiam in sermocinatione et epistolis temere consectantur; dum Plinii operum in pejus detortorum omnimodo lepores imitari student, ac Tullianæ eloquentiæ flumen in tenuissimos opusculorum suorum rivulos deducendi facultatem desperant, is assidua veterum oratorum rhetorumque, ac præsertim Ciceronis librorum, lectione imbutus, nihil fere, si ea excipias, quæ de causarum statibus et argumentorum locis Hermagoram secutus præcepit, nisi Ciceronianum et Quintilianeum sapit. Itaque inanes

panegyricarum orationum, et declamationum flosculos contemnit[1]; et exuberantem verborum copiam et sonitum, nulla subjecta sententia inanem, Tulliana auctoritate fretus, irridet[2]; et plus æquo arguti ingenii, promptiorisque, quam decet, linguæ irritam celeritatem, atque omnes loquendi phaleras, insequitur, ubique illius solum admirator quod aptum sit; et materias omnes, sive verarum, sive fictarum orationum, recti tantummodo ac decori regula dirigendas esse ita censet, ut apud pedaneum judicem, privatæ cognitionis actionem ad sermocinationis vicem deprimendam esse non admonitos intelligere nos dicat[3]; at quicquid aget orator, non multum a forensi actione discrepare debere, et rebus et verbis et pronuntiatione[4] profiteatur. Quod autem ad poeticæ artis frequentationem ad sermocinationis, et epistolarum præsertim, usum traductam attinet, hanc ita in comicis præcipue auctoribus tractatam inspicit, ut multo magis comœdias veteres et togatas, ut ait, et tabernarias et atellanas fabulas et mimofabulas lectitandas esse, quam nova IV ævi dramata, admoneat, aut nullam de his potius mentionem faciat; etsi quasdam eo sæculo scenicas esse confectas fabulas, inter quas palliatæ, constat. Quarum exempla afferri possunt et *Septem Ausonii Sapientes*, et Pauli Axii rhetoris ac poetæ comœdia[5], quæ *Deliri* nomine edita erat, et *Querolus* ille, in quo paganorum morum ridicula multo sale

1. C. J. Vict., cap. xxv, p. 119-120.
2. Id., cap. xxv, p. 116. Cf. Cic. *de Oratore*, I, 12.
3. Id., cap. xxiv, p. 112.
4. Id., cap. xxv, p. 120.
5. Auson. *Epist.*, xiv.

acrius defricata sunt et inspersa. At Victor, constanti vetera omnia studia et opera, suorum admirationi atque imitationi proponendi consuetudine inductus, non magis de dramaticis æqualium suorum fabulis frequenti manu versandis, quam de ceteris eorumdem aut oratoriis exercitationibus, aut orationibus, aut libris, admonitionem quamdam in compendium suum inserit, qua recentes ingeniorum fructus aliquatenus comprobare videatur. Quo fit ut, sincerus licet ac religiosus Tullianæ eloquentiæ admirator, quum nihil inde, sive in suum opus, sive in præcepta quæ a Tullio assumit, generosum, et a sponte sua plurima creantis ingenii impetu profectum, transferat ac per se adjiciat, nihil aliud e veteribus dicendi magistris atque etiam Cicerone, ut diximus, nisi jamdudum vulgatum et omnino sterile mutuetur. Quidquid igitur recti judicii, quidquid veri sensus, ad id relati quod aptum est ac decet, quidquid saporis ex antiquæ eloquentiæ admiratione atque commendatione ducti habet C. Julius Victor, id ad nihil aliud prodest, nisi ut manifesta argumentatione demonstret, quantum opera obscuri hominis in scholis constanter innutriti, atque in libris frustra impallescentis optimis, irritum tantummodo sanæ eloquentiæ amorem testentur. Talia namque opera nulla ratione tempora et studia et judicia indicare possunt, sive oratorum et scriptorum, sive communis hominum turbæ, qui eos aut audiunt aut legunt. Quod profecto Victori nostro, quamvis quasdam ob ingenii dotes, Gallicum jam saporem redolere nobis visus sit, accidit. Propterea enim quod multo magis, quam decebat, a temporibus suis et hominibus et laboribus se re-

movit, neque fere aliud fecit, quam, vulgata maximorum dicendi auctorum præcepta referendo, nihil ex iis mutare, nihil prope novare, nihil interpretari et ad æqualium suorum eloquentiam, aliquatenus approbatam, accommodare, idcirco C. Julii Victoris liber parum dignitatis ac ponderis, inter sui ævi et sequentis ætatis eloquendi præceptores, habuisse dicendus est. Ideo tam parvam, ne dicam, nullam omnino, auctoritatem liber iste rhetorices, C. Julii Victoris nomine inscriptus, obtinuit, ut tot sæcula ignotus in bibliothecarum pulvere jacuerit; nec fere quisquam apud antiquos rhetores, quem quidem noverimus, præter Rufinum, de Victore illo mentionem obiter facere dignatus sit. Noster igitur rhetor, quia eum Gallum fuisse verisimile est, non quadamtenus cum Gallicis rhetoribus consensisse non potest; quia autem vel imprimis, vel unice et idcirco frustra, Ciceronianus fuit, ab iisdem necessario, in multis ingenii dotibus ac judicii rationibus, dissensit incassum.

CAPUT IV.

§ 1. Omnium quæ supra diximus breve summarium.

Illa sit tertia et ultima generalium conclusionum, quas tertiæ operis nostri parti, de sermocinatione ac de epistolis inchoatæ, subjunximus. Nihil jam nobis conficiendum superest, ut universam nobis destinatam disputationem absolverimus, nisi ut quam brevissime omnia repetamus et summatim colligamus, quibus tum quædam præfati sumus de Victore, tum tres opusculi illius partes explicavimus. Hæc quidem erit quarta et ultima ejus jam prænuntiata pars.

Totius operis nostri initio, diximus quomodo primum in lucem esset editus Victoris liber, et quibus de causis quædam ad hunc attinentia, post eruditissimum virum Maium, disputare non nobis inutile videretur. Deinde Maium secuti, probabiles conjecturas de rhetoris nostri patria, stirpe, ævo et vivendi genere retulimus. Postea, ex ejusdem auctoritate ita de rhetoribus quorum sibi præcepta assumpsit Victor locuti sumus, ut pauca de Aquilio aut potius Aquila, de Marcomanno, de Tatiano aut potius Titiano, ac de Hermagora diceremus. Ciceronem vero et Quintilianum, quos magis, quam ceteros illos dicendi magistros, C. Julius Victor se-

cutus est, notiores esse duximus, quam ut aliqua de iis inserere tentaremus. Inde ad rationem transeundum esse existimavimus, qua Hermagoræ et Tullii et Fabii præcepta Victor amplexus est; siquidem de tribus aliis supra scriptis nihil certi compertum est. At priusquam hoc opus aggrederemur, nihil nobis potius esse visum est, quam si primum C. Julii Victoris Rhetoricæ totius xxvii capitum titulos ex ordine describeremus. Quo descripto, universæ nostræ disputationis summam in quatuor præcipuas partes separavimus, quarum prima Hermagoræ et Ciceronis et Quintiliani disciplinarum rationem a Victore in compendium suum translatam complecteretur; secunda ipsum per se Victoris opus dijudicatum ostenderet; tertia peculiariter duo postrema ejusdem de sermocinatione et de epistolis capita illustrata, et tres deinde a toto opere generales conclusiones profectas contineret; quarta autem et ultima, de qua nunc agitur, universam opusculi nostri explanationem paucis revocatam præberet.

Primam statim ingressi partem, Victorem Hermagoreo more, ex Aristotelis et rationis et recentiorum rhetorum consensu, rhetoricam artem definivisse affirmavimus. Ceterum non minus, quam Hermagoras, aridus et jejunus de causarum statibus, eum potius, quam Tullium et Fabium, C. Julius Victor, ut diximus, secutus est, quod Hermagorea disciplina de causarum constitutionibus, non ab ipso Cicerone et Fabio spreta, Victori forsitan aptior visa sit ad agendas quotidiana consuetudine causas, quam doctrina de eadem re Ciceronis et Quintiliani excelsior. Cur autem Victor generales

theses minoris, quam tres supra nominati rhetores, fecisse videatur, id esse causæ credimus, quod generalium quæstionum in omni oratione dignitatem et necessitatem verisimile est eo minus manifestam apparuisse, quo deterior eloquentia facta est, rariorisque usus frequentatione quæstiones illæ usurpatæ sunt.

Deinde ad Ciceronem et Quintilianum una transgressi, generatim admonuimus omnia prope operis sui præcepta, præter ea quæ ad causarum status et argumentorum locos pertinent, et duo ultima nostræ Rhetorices capita, ab utroque Victorem assumpsisse; adeo ut nunc illa ad verbum transcriberet, nunc coarctaret et obscuraret, nunc immutaret, aut pauca etiam in contrariam partem versa interpretaretur. Nihil de Victoris more Ciceronem et Fabium ad verbum transferendi diximus. De coarctatis autem et obscuratis quibusdam utriusque locis, et lepidissimum apud Ciceronem inductionis exemplum, caligine veluti brevitatis nimiæ offusum; et oratorii syllogismi interpretationem minus quam in Tullio lucidam; et de inventione, de dispositione, de degressione præcepta non tam fecunda, jucunda claraque, quam in Ciceronis et Quintiliani libris; et paucissima frigida et eadem arida de facetiis, si ea cum eorumdem præceptis exemplisque conferas; et de peroratione nihil quod Quintilianeam lucem et doctrinam æmuletur; et, præter quædam jejune de elocutione, de numeris, de figuratis dicta, confusam rerum congeriem quibus titulus de obliquitate est; et nimiam de sententiis et declamationibus severitatem, procul a sapienti Quintiliani, de eisdem rebus scriben-

tis, moderatione remotam; et ea quæ ad pronuntiationem et exercitationem attinent, multo iis necessario inferiora, quæ de utraque re Cicero et Fabius præceperunt, vicissim in C. Julii Victoris rhetorices summario perstrinximus. Postremo pauca illa attigimus, quæ aliter Victor quam Cicero et Fabius explicavit, quæque ad duo modo exempla reduximus, prius scilicet ad vocalium concursum, posterius vero et præcipuum ad memoriam. Breviter causas disquirere tentavimus, de quibus hic constantes suos dicendi magistros non secutus sit.

Postquam inde obiter significavimus, quare Victorem cum Cicerone et Fabio contulerimus, ad secundam operis nostri divisionem provecti sumus, in qua Victoris per se librum dijudicavimus, atque illius aut virtutes aut vitia aut quascumque generatim rationes commonstravimus. Hic primum, a Victore animadvertimus sæpissime decori convenientiam commendari; nullum usquam Quintiliano recentioris scriptoris nomen afferri, contra autem Latinos auctores Tullio antiquiores libenter nominari et scripta eorum proferri; non solum sententias et declamationes, sed etiam panegyricas dictiones respui; Censorii Catonis et Gracchi et Fannii et Ennii fragmenta quædam in medium adduci, quæ non nihil Romanarum litterarum historiæ conducant. Postea iis respondimus qui forte objecturi essent, aut Victorem recentiores Quintiliano scriptores nominasse, siquidem Marcomannum et Aquilam et Titianum secutus sit, aut eum non recto judicio, ut IV sæculi hominem, excelluisse, quum frequentibus declamationum exemplis opus suum consperserit. Attamen asseveravimus (nec

id semel deinceps confirmare voluimus) multo minus, quam Ciceronem et Fabium, Græcis esse litteris imbutum Victorem; et Græcarum litterarum usum tum in Galliis, tum in reliquis Occidentis regionibus IV ævo multum defloruisse diximus, non ab iis absterriti, qui Græca rhetorices vocabula vulgo a Victore adhiberi jure optimo contenderent. Etiamsi autem incorruptæ Latinorum veterum eloquentiæ fautor esse ubique videatur, nihilominus ejus et sententias, et dictionem, et barbara aliquot vocabula, et universum librum, depravatæ ac deminutæ in dies cogitationis dictionisque exemplar esse credidimus. In quo prope nihil invenimus quod Victoris propriam indolem, ingenium, ætatem referret; quanquam eum merito Maius ethnicum fuisse hominem agnoscit. Quod certissimis duobus indiciis ostendi, contra quæ frustra repugnarent, qui falso dicerent, in rhetoricis, verbi gratia, Cassiodori et Isidori Hispalensis compendiis, nulla omnino christianæ religionis vestigia deprehendi. Eo magis paganum fuisse Victorem esse affirmavimus, sicut plerosque Gallos rhetores illi æquales, quo melius inde intelleximus cur ubique Victor veterum rhetorum vestigiis adhærescens adreptaret, nec quidquam per se egregium et novum reperiret, longe in ea re ab Aurelio illo Augustino distans, cujus luculenta quædam, ex optimo de Christiana Doctrina libro excerpta protulimus. Non quod tam dispari inter se ingenio homines Victorem et Augustinum conferre vellemus, sed ut planius ostenderemus ex eo, quod Augustino veteri Mediolanensium rhetori christiana vis addiderat, quid verisimiliter Victori etiam, licet inferiori homini,

christianæ eloquentiæ acer et vividus spiritus igneæ mentis et impetus adjuncturus fuisset, si non in pagano errore jacuisset. Ceteroqui præter laudandas Victoris aliquot et verissimas virtutes, illius etiam vitia utilia esse arbitrati sumus ut paulo melius hujus ætas dignosceretur. Tandem commoda alia pauca persecuti sumus, quæ ex rhetoris nostri libro ducenda essent, et continuo ad præcipuam illius Rhetorices præceptionem devenimus, quam ad sermocinationem et epistolas pertinere diximus, et quæ fusius, quam cetera, a nobis explicata, tertiam totius nostri opusculi partem, cum generalibus tribus insequentibus conclusionibus effecit.

Victorem quæcumque de sermocinatione et de epistolis scripserit, ab ignoto nobis rhetore ad verbum transcripsisse forsitan, diximus. Utcumque vero de illa re homines sentiant, tamen constat ex veteribus cunctis scriptoribus plurima loca excerpi posse, sive apud Græcos, sive apud Latinos, quæ ad ultimorum duorum Victoris rhetorices capitum materiam referantur. Cicero peculiariter ac Quintilianus inspersa quædam et facile colligenda de rebus iis præbent, quæ ad sermocinationem pertinent, et quas rhetorum præceptis non fuisse instructas Tullius conquestus est. Magna item, Quintiliani tempore, sermocinationi etiam in eloquentia virtus ac dignitas assignata erat.

Hæc de duobus extremis C. Julii Victoris capitibus præfati, vicesimum ejus et sextum de sermocinatione caput totum transcripsimus, in quo de sermonis et usu et pretio et virtutibus aut vitiis, et rationibus quæ illum omni elegantiæ genere exornent, præcepta breviter tradidit. Sermocinationis

usum ac pretium, Victoris ævo, non minus quam antea, sive in sacris christianorum concionibus, quas sermones vulgo nuncupaverunt, sive in rhetorum recitationibus et litteratis colloquiis et epistolari commercio, celebratum esse notavimus. Sermocinationis autem virtutes et vitia Victorem credidimus, diversis omnino, utpote nunc prudentibus et rectis, nunc puerilibus et obsoletis præceptorum rationibus, designasse; quod, pulcherrimo eorum allato exemplo quæ de sermone præcepit Cicero, confirmavimus. Ea dein obiter approbavimus, quæ ad perficiendam sermonis elegantiam conferenda esse, sicuti comœdias et epistolas veteres, Victor existimat. Quum alios priscos scriptores, tum incertum Rhetoricorum ad Herennium auctorem quædam esse de sermocinatione professum confessi sumus, sed ita ut horum nullus, quos quidem noverimus, ordine et via et ex industria, perinde ac Victor, in Latino Rhetorices libro de sermocinatione præcepta tradiderit.

Inde rhetoris nostri ultimum caput totum protulimus, et postquam animadvertimus omnem omnium epistolarum usum IV sæculo quam quum maxime increbruisse, et in eo capite Victorem minus puerilia consilia ingeniosis annotationibus quam in præcedentibus immiscuisse, eum, Demetrii Phalerei et Quintiliani ritu, merito cum sermone epistolas contulisse credidimus. Ut Cicero, ita Victor negotiales et familiares litteras distinxit. Hic tamen non satis perspicue nobis designasse visus est, quæcumque sub negotialium epistolarum nomine comprehenderet. Demetrii deinde Phalerei et Ciceronis et Quintiliani et Gregorii Nazianzeni

quædam de epistolis excerpta attulimus, quæ cum Victoris epistolica institutione compararemus; et eos omnes hoc melius sensisse quam Demetrium judicavimus, quod hic non alias quam familiares epistolas epistolarum nomine dignari videatur, illi autem litteras omnes plusve pro rebus minusve dilatas accipiant, modo ab iis epistolare genus non excludatur. Victorem tamen magis in familiaribus quam in negotiosis litteris institisse diximus. Postea autem, eruditionem et sagacitatem, et judicii acumen, et nescio quid christiani affectus simile, et assiduam ac prope unicam Ciceronis epistolarum frequentationem in iis, quæ vicissim ex ultimo Victoris capite a nobis excerpta sunt, dijudicavimus. Quare tum hic, tum alias, unicum prope, ut dicendi, ita scribendi specimen, vel uni discipulo vel multis discipulis, Ciceronem proposuerit Victor, paucis denique ita disquisivimus, ut illum diceremus, in nulla epistolarum post Tullium collectione, sive suis, sive antea temporibus, aliquid quod miram illam Tulliani sermonis et flexibilitatem et varietatem et naturalem vim et copiam æquipararet, reperire potuisse.

Postquam ita absolvimus quæcumque, de toto Victoris opere ac præsertim de sermocinatione et de epistolis, animadvertenda esse nobis arbitrati essemus, tres, antequam iis ultimam manum imponeremus, generalium inde conclusionum formas ducere voluimus. Quarum prima, vel unice vel imprimis Ciceronianum, ut diximus, Victorem, cum Frontonianis et Plinianis IV sæculi Galliarum rhetoribus, cum Q. Aurelio Symmacho, cujus ex epistolis pauca sunt a nobis selecta, contulimus.

Qua e scriptorum collatione evenit, ut planius intelligeremus quare Victor, scholasticus omnino homo, non Symmachiana illa facilitate inductus sit, neque conciliare antiquæ eloquentiæ leges cum novæ facundiæ lascivia et pigmentis tentaverit. Secunda conclusione, quæ e prima oriebatur, Victorem et sententiis, et declamationibus, et panegyricis dictionibus adversatum esse, quam brevissime commemoravimus. Tertia autem et extrema id nobis proposuimus, ut paulo fusiori, quam in duabus primis generalibus conclusionibus, rerum explicatione ostenderemus, quonam pacto C. Julius Victor cum Gallicis IV sæculi rhetoribus collatus, aut cum iis conspiraverit, aut ab eisdem recesserit. Quod ut manifestum fieret, ex Sidonio Apollinari et aliis auctoribus duximus quædam, unde præcipuæ virtutum ac vitiorum in Gallicana facundia, et Gallicis oratoribus ac rhetoribus nobis apparuerunt notæ. Quibus pauca de illorum studiis, moribus, quotidiano vivendi genere et conditione subjunximus; ac deinde Victore et Victoris libro ad collata hæc omnia testimonia admoto, sic tertiam illam generalem et ultimam conclusionem absolvimus, ut nobis cum Gallicis IV ævi rhetoribus aliquatenus consentire videretur Victor, quia ipsum Gallicum hominem fuisse verisimile esset, a plerisque vero distare, quia scholasticus unice rhetor et antiquæ facundiæ dictionisque rigidus amator, et sterilis æqualium suorum obscurusque ideo doctor, nullum prope discipulis, nisi Ciceronis, supra imitationem eorum positum, exemplar proposuisset.

§ 2. Pauca nostro jam finito labori subjecta.

Jam omne a nobis inchoatum opus confecimus. Universum tamen C. Julii Victoris rhetorices compendium intuentes, non possumus quin extremam hanc concludendi rationem nostri laboris fini adjiciamus. Scilicet post Senecam patrem, post Quintilianum, post dialogi auctorem De causis corruptæ eloquentiæ, post Plinium Juniorem, post Frontonem et ceteros qui desiderio inani antiquam eloquentiam prosecuti sunt, et vana spe inducti illam renovare tentaverunt, novo et manifestiori etiam exemplo, quia illis scriptoribus multo exilior et humilior est, testatur Victor neminem, quamvis studiosus sit antiquitatis fautor, se a sæculi sui ingeniorum studiorumque vitiis abstrahere et jamdudum exstinctam facundiæ vim iterum exsuscitare posse. Frustra enim dicat aliquis hos de Rhetorica Arte Victoris commentariolos, quos plerosque ad verbum ex antiquis rhetoribus transcripsit, in unum codicis rhetorici corpus forsitan fuisse congregatos, ut secundum Gallicorum dicendi magistrorum morem, seu veluti oratoriæ disciplinæ brevissima initia copiosius deinceps viva professoris voce et fecundiori rerum exemplorumque segete exornarentur; seu veluti uberioris explicationis, cujus ope discipulos edocuerant rhetores, summaria proponerentur. Ita se quidem habere potuisse rem non ego diffitear; nihil enim obstat quominus suspicemur Victoris de Rhetorica Arte librum non aliud esse, quam breviter excerpta quædam e clarissimis rhetoribus

præcepta, quæ deinde dicendi magister, aut in aliquo e gymnasiis quæ tunc apud Gallos florebant explanaret, aut quæ, alumni cujusdam summo loco orti aut etiam principis gratia, eruditus omnino doctor vivo ore dilataret. Cui qui suspicandi rationi suffragaretur, is inde intelligeret cur adeo pauca, ne dicam, nulla, temporum suorum propriæ eloquentiæ vestigia, in opere suo consignata Victor memoriæ tradiderit. Namque quum id opus tantummodo congesta contineat, quæ fortasse Gallicorum aliorum more, noster e diversis rhetoribus ac præcipue Tullio et M. Fabio excerpserat, neque vel in cogitatione vel dictione quicquam prope quod, ex peculiari suo ingenio deprompserit, habeat, Victor propterea id fere nusquam in animo habuisse dici potest, ut quædam omni ex parte didascalico et exili operi suo præcepta et exempla insereret, quæ vividam et sinceram ævi sui eloquentiæ effigiem posteris relinquerent. Ego autem, ut non omnino istam conjecturæ rationem repellendam esse arbitror, ita plane C. Julium Victorem affirmare ausim, si non omnino scholasticus homo fuisset, nec inutilis Ciceronianæ sectæ fautor, in umbratili perpetuo vivendi genere obscuraque oratoriæ disciplinæ professione consenuisset, futurum fuisse ut frequentiora ætatis suæ oratorum et eloquentiæ indicia, etiam in jejuno Rhetoricæ Artis compendio, sparsisset. Quod si non neglexisset, evenisset profecto ut Victoris liber utilius, quam nunc, et panegyricis Gallicorum oratorum dictionibus, et variis Ausonii operibus et Q. Aurelii Symmachi epistolis et C. Sidonii Apollinaris et Ennodii miscellaneis libris, et ceteris ceterorum testimoniis, adjici potuisset, ut novam quasi

lucem oratoriis Gallorum IV ævi studiis affunderet. Contra autem, qualiscumque rerum quarumdam novitas, et imprimis earum quæ ad sermocinationem et ad epistolas attinent, C. Julii Victoris de Rhetorica Arte librum commendet, tamen nemo non fateatur, modo eum perlegerit, multo pauciora et obscuriora ibi reperiri, quam quis optimo jure desideret, testimonia, quæ ad rhetoris nostri dijudicandum ingenium et declarandam ætatem accommodata sint.

INDEX.

PROŒMIUM.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

DE L'IMPRIMERIE DE CH. LAHURE (ANCIENNE MAISON CRAPELET),
rue de Vaugirard, 9, près de l'Odéon.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, A. D. V. Kalend. Septembr. ann. MCCCLII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Permis d'imprimer.

Paris, le 31 août 1852.

Pour le Recteur de l'Académie de la Seine,

L'Inspecteur délégué,

H. SONNET.

ERRATA.

Pages,	lignes,	au lieu de :	lisez :
17	24	cap. 2,	cap. 1.
23	28	et 63;	et 64;
38	1	antiquam	antiquum
48	27	VI, 4,	IV, 4,
53	32	XI, 2, 75.	IX, 2, 75.
55	4	indicandi	indicandæ
57	32	XVII,	XVIII,
111	26	conferebant,	conferebant, »
117	30	Gallici,	Gallici tempora,
152	6—7	di- latas	di- latatas

ERRATA.

Pages,	lignes,	au lieu de :	lisez :
17	24	cap. 2,	cap. 1.
23	28	et 63;	et 64;
38	1	antiquam	antiquum
48	27	vi, 4,	iv, 4,
53	32	XI, 2, 75.	IX, 2, 75.
55	4	indicandi	indicandæ
57	32	xvii,	xviii,
111	26	conferebant,	conferebant, »
117	30	Gallici,	Gallici tempora,
152	6—7	di- latas	di- latatas